NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
26 A
13

~~XX q 767 β a~~

~~14 17, e, 33~~

[illegible] Google

LEONARDI COZZANDI BRIXIANI DE MAGISTERIO ANTIQVORVM PHILOSOPHORVM LIBRI VI.

Illuſtriſſimo ac Ornatiſſimo

HIPPOLITO FENAROLO

DICATI.

QVOD TIBI FIERI NON VIS, ALTERI NE FECERIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

GENEVÆ,

Apud SAMVELEM DE TOVRNES.

8.5

M. DC. LXXXIV.

Digitized by Google

ILLVSTRISSIME DOMINE,

JAM diu eſt, Nobiliſſime Hippolite, ex quo iter ad notitiam tuam (ſi non ad amicitiam, quæ eſt inter pares,) ſtruere molior, ſed vetuit pudor, quod amor, & admiratio tui jubebat. Cùm ecce mihi, læto Deo, bonoque favente genio, ſingularis, quæ in te eſt, ac propè divina humanitas, præclarum, rarum, nec raro obtulit argumentum. Iteratæ à Te ſalutationes, quas mihi Nobilis Paulus Foreſtus nepos meus, attulit, effecêre, ut abrupto ingenito

§ 2 mihi

mihi modeſtiæ vinculo, nominis tui Veneres Opellæ iſti præſcriberem. Levi quidem, ſi precium à ſe feceris, magnæ, ſi ab affectu, qui mihi certè in te magnus. Nihil mihi antiquius, nihil magis erat in votis, quàm palàm orbi facere meam erga te obſervantiam, ac ſummam animi propenſionem. Tum, ut patrocinium contra maligni dentis livorem expoſitæ huic proli pararem. Ad hæc, ut tenui huic ſcriptioni lucem aliquam à luce nominis tui conciliarem. Quàm enim in patria urbe, & familiæ antiquitate, nobilitate inter principes reſplendeas. Quibus ortus parentibus prudentiſſimis, à quibus ingenerari Tibi debuit cum ſanguine, & lacte ad virtutem propenſio, ab hac avita gloria. Quantùm fortunæ, quæ dicunt, bonis abundes, nullus in patria eſt, qui planè ignoret.

ret. Sed hæc fortè, ut aliena jam diu Tibi viluerunt, qui ab incunabulis didiciſti, imbibiſti veram nobilitatem à ſe ipſo haberi.

Stemmata quid faciunt? Quid prodeſt, Pontice, longo
Sanguine cenſeri, pictoſque oſtendere vultus
Majorum? Et ſtantes in curribus Æmilianos?
Et Curios jam dimidios? Naſumque minorem
Corvini, & Galbam auriculis nasóque carentem?
Quis fructus generis tabulâ jactare capaci
Fumoſos equitum cum Dictatore Magiſtros,
Si coram Lepidis malè vivitur?
Tota licèt veteres exornent undique cera

Atria, nobilitas ſola eſt, atque unica virtus.

Quamobrem literarum te ſtudiis, ac ſapientiæ tradidiſti, palàm facturus quantùm interſit inter doctos, cultoſque nobiles, & iſtos, qui nihil habent, niſi à luce majorum. Animum exquiſitiſſimæ doctrinæ ſucco non modò leviter tinxiſti, ſed penitùs imbuiſti. Themidis adyta penetrâſti, atque eos ſtudiorum fructus hauſiſti, carpſiſti, quibus à te colluceres, & in quos vis temporis nulla, nulla fortunæ.

Vivitur ingenio: cætera mortis erunt. Nec aliam à tuis veſtigiis iniit viam ILLVSTRISSIMVS, & ſanguine, & amore germanus tuus Bartholomæus, cujus prudentiam, ac in rebus gerendis dexteritatem, comitatem, nullus non demiratur, in quo ſcintilla aliqua diffuſa lucis melio-

ris.

ris. Quippe qui naturæ latebras, ac intimos ejus ſinus calidè, & intentè ſcrutatus; ſubſtantiarum à materia ſeparatarum eſſentias ſpeculatus, confecto Philoſophico curſu in arenam Parmæ deſcendit, periculum facturus, an quæ à præceptoribus hauſerat, teneret, in numerato haberet. Deſcendit, & conſertis manibus cruento gladio adverſariorum acies validè fudit: Sphinxinis nodis, quibus veterani magiſtri Davi, ipſe in tyrocinio Oedippus. Quo quidem factum, ut omnium admiratione Athenæum ipſum illi acclamarit. Quæ mihi cogitanti Vobis utriſque tunc temporis adhuc adoleſcentibus, & magnis paſſibus ad virtutem euntibus illud Poëtæ ritè aptari poſſe videtur.

Cœpiſtis quò finis erat: primordia veſtra

Vix pauci meruêre ſenes: metáſque tenetis,
Ante genas dulces quàm flos juvenilis inumbret:
Quámque ridenti lanugine veſtiat ætas.

Potiora hîc mihi dicenda forent, quæ præſentem veſtram tangunt ætatem, auctoritatem, animi magnitudinem; at latiſſimum hunc campum ingredi non lubet, non vacat. Superiora libavi, ut cognoſcant omnes mevm erga Te, Doctiſſime Hippolite, animi cultum, ac quàm aptum, & firmiſſimum his meis de MAGISTERIO ANTIQVORVM PHILOSOPHORVM libellis præſidivm ſelegerim. Quos, ut lætâ ſuſcipias fronte facilè à me poteris exorari. Vale V. C. méque tui amantem ama, ac multam à me ſalutem.

ſalutem Ampliſſimo Fr. dicere ne graveris. *Brixiæ*, M. DC. LXXXIV. *Kal. Ianuarii.*

Illuſtriſſimo Nomini Tuo Devotiſſimus,

Leonardus Cozzandus.

Digitized by Google

AVCTORIS
AD
LECTOREM
PRÆFATIO.

SCRIPSERE *de* MAGISTERIO ANTIQVORUM PHILOSOPHORUM VETERUM *aliquammulti. Titulus illis. De Succeſſionibus. Alexander Cornelio cognomento Polyhiſtor Grammaticus diſcipulus Cratetis, ut ait Suidas, floruitque Olymp.* CLXXIII. *Sotion Philoſophus Peripateticus, qui ſub*

ſub Ptolomæis vixit, cujus Heraclides Lembus Sarapionis F. epitomen fecit, qui ſub Ptolomæo VI. *emicuit, cognomento Philometore. Nicias Nicænus, Antiſthenes, Soſicrates Rhodius, Socrates etiam quidam Laërtio citatur Lib.VI.in Diogene Synopæo ſub finem, in primo ſucceſſionum, & alibi. Et ipſemet Diogenes Laërtius, qui etſi vitas & mores Philoſophorum ſe tantùm ſcribere dicat, attamen, & ſucceſſionem eorum inter ſe, ac Magiſterij munus exequitur; ut mittam vel qui de ſectis ſcripſerunt, vel de ſcholis, vel generatim de vitis, vel qui particulatim de nonnullis egêre Philoſophis, vel qui ſparſim, & interciſè, quorum omnium alibi Onomatologum, ſeu indicem texui. Cæterùm eorum, qui de ſucceſſionibus, ſi unum, vel alterum demas, cæterorum penitùs intercidêre lucubrationes. Vtinam ex-*

 tarent;

tarent; nobis enim his colligendis longæ inquiſitionis labor abfuiſſet. Amavi vel à puero has litteras, ut enim doctiſſimus ille naturæ myſtes ad Veſpaſianum: magna pars ſtudiorum amœnitates quærimus. *Quid autem amœnius, quid ſcitu jucundius Philoſophicâ Hiſtoriâ, cognitione clariſſimorum Virorum, quorum lucubrationibus ad nominis immortalitatem informer in terris? Sanè Cicero (qui à teneris Græcorum Philoſophiæ operam ſummo navavit ſtudio, unde & adhuc adoleſcens Philoſophus Græcus à P. R. eſt appellatus, quam mox eloquentiæ junctam in forum introduxit Romanum) vix ſatis deprædicare valet delectabilem voluptatem, quæ ex horum cognitione percipitur. Legendus lib. 2. de legibus apud quem T. Pomponius Atticus* Eques Romanus *ſectâ Epicureus, & Ciceronis perquam familiaris:* Me, *inquit,*

quit, ipſæ illæ Athenæ non tam operibus magnificis, exquiſitisque antiquorum artibus delectant, quàm recordatione ſummorum Virorum, ubi quiſq; habitare, ubi ſedere, ubi diſputare ſit ſolitus, ſtudioſéq; eorum etiam ſepulchra contemplor. *Lib.* v. *de finibus* : Scis me quodam tempore Metapontum veniſſe tecum, nec ad hoſpitem ante divertiſſe, quàm Pithagoræ ipſum illum locum, ubi vitam edideret, ſedemque viderim. *Eodèm Libro* : Venit mihi Plato in mentem quem accepimus primùm hæc diſputare ſolitum : cujus etiam illi hortuli propinqui non memoriam ſolùm mihi afferunt, ſed ipſum videntur in conſpectu meo hîc ponere. Hîc Speuſippus, hîc Xenocrates, hîc ejus auditor Polemo, cujus illa ſeſſio fuit quam videmus. *Quantùm autem verè dixerit,*

quòd

quòd etiam ex eorum ſepulcrorum viſione voluptatem, & quidem maximam caperet, & quàm ſtudiosè, & intentè illa contemplaretur ipſemet teſtis locupletiſsimus eſſe poteſt, cùm ad venandum Syracuſis Archimedis ſepulcrum animum adjecit, ut habetur lib. v. Tuſc. & dabo ejus in teſtimonium verba: ex eadem urbe (*Syracuſis*) humilem homunculum à pulvere & radio excitabo, qui multis annis pòſt fuit (*Platonem & Archytam, de quibus Ciceroni inibi ſermo*) Archimedem. Cujus ego Quæſtor, ignoratum ab Syracuſanis cùm eſſe omnino negarent, ſeptum undique, & veſtitum vepribus, & dumetis, indagavi ſepulcrum. Tenebam enim quoſdam ſenariolos, quos in ejus monumento eſſe inſcriptos acceperam, qui declarabant, in ſummo ſepulcro ſpheram eſſe poſitam cum cylin-

dro.

dro. Ego autem cùm omnia colluſtrarem oculis, (eſt enim ad portas Agragianas magna frequentia ſepulcrorum) animadverti columellam non multùm è dumis eminentem: in quâ inerat ſpheræ figura, & cylindri. Atque ego ſtatim Syracuſanis (erant autem principes mecum) dixi, me illud ipſum arbitrari eſſe quod quærerem. Immiſſi cum falcibus multi purgârunt, & aperuerunt locum, quo cùm patefactus eſſet aditus, ad adverſam baſim acceſſimus. Apparebat epigramma, exeſis poſterioribus partibus verſiculorum dimidiatis ferè. Ita nobiliſſima Græciæ civitas, quondam verò etiam doctiſſima, ſui civis, unius acutiſſimi, monumentum ignoraſſet, niſi ab homine Arpinate didiciſſet. *Lucianus etiam in Demonactis Cyprii Philoſophi Epicteti Stoici auditoris vitam ſub*

calcem:

calcem: Cœterùm Athenienſes magnifico funere elatum illum ſepelierunt, multoq; tempore ejus obitum luxerunt, ad ſedem illam lapideam, ſuper quâ, ſi quando correptus laſſitudine quieſcere ſolebat, adorabant, ſertis coronantes in honorem viri, exiſtimantéſque ſacrum eſſe lapidem, in quo ſediſſet. *Claudianus id ipſum in Manlio Theodoro valdè commendat, quòd ſcilicet Antiquorum Philoſophorum hiſtoriâ ſit maximè delectatus. Lege librum de ejus conſulatu:*

Omnia Cecropiæ relegis ſecreta ſenectæ:
Diſcutiens quid quiſque novum mandaverit ævo,
Quantáque diverſæ producant agmina ſectæ.
Námque aliis princeps rerum diſponitur aër,
Hic confidit aquis, Hic procreat omnia flammis.

Nec

Nec ſolùm prophani, ſed ſacri veræ ſapientiæ cultores idem accuratè notârunt. Irenæus quidem libro ad Florinum de Monarchia non ſine gaudio ejuſmodi hiſtorica memorat. Conſule Euſebium lib. v. *Hiſtor. Eccleſ. cap.* 20. Locum ipſum tibi dicere poſſum, in quo ſedens diſputabat beatus Polycarpus, & inceſſum illius, & vultum, ac totius vitæ modum, & ipſius quoque corporis habitum. *Nec quidem voluptati deſunt uberrimi fructus (effutiant quicquid velint ad harum litterarum contemptum quidam barbaris ingeniis horrentes) unde magnus ille humanarum divinarúmque litterarum callentiſſimus Origenes Adamantius auditores ſuos inſtruxiſſe ad cognoſcendas Philoſophorum ſectas eorumq; dogmata ex Nicephoro Calliſto habemus lib.* v. *cap.* XII. *Eccleſiaſt. Hiſtor.* Inſuper autem & ad Philo-

ſophorum

ſophorum ſectas cognoſcendas auditores inſtruebat, dogmata eorum illis exponens, & commentarios in res quaſvis edens: ita ut apud Philoſophos quoque magnus haberetur. *Quibus, & ipſe captus oblectatione, ac fructu ante annum ætatis meæ* XVIII. *præſentem digeſſeram, ſed rudi planè, ac craſſa Minerva in partes ſuas, & membra, ſub ea, qua nunc maximè potitur, forma, opellam. Non potui colophonem imponere. Incidi in neſcio quod hominum genus, quod dicunt Sophiſtas, tricoſum, ſtrophis, & argutiis, ut otio, abundantes, qui me à ſtudiorum meorum dulci & amica divulſerunt quiete, mêque invitum, & ingratiis in diatribas deduxerunt ſuas, diſputationum vorticibus, verborum involucris, & ænigmatibus paſſim ſtrepentes, & quæ omnem prorſus Muſarum ſuavitatem excludunt. Hercules*

tuam

tuam fidem! quæ monſtra verborum, quæ nominum portenta non audivi? Quæ non planè extra chorum acumina, Quot diſſultantes ac planè diſſultorias quæſtiones? Quantùm in illis animadverti inanitatis, vanitatis? Quoties mihi non ſine riſu audire contigit Sophiſtas ita ſimul contendere, ut abſurda & ridicula alter proponeret, alter verò importuna quadam, & nihil ſanè ad rem reſponderet? Demonactes Epicteti Stoïci auditor dixiſſet, Nonne vobis videtur, hic hircum emulgere at ille cribrum ſubjicere? *Cum his aliquot annos inſumpſi, & quidem ætatis meæ meliores, cùm videlicet vegetum ingenium in vivido pectore vigeret: tandem cùm me ſatis nugarum ſuarum gnarum habuerunt, logis, & gerris dimiſerunt onuſtum, & barbarie quadam ſic intimè affectum, ut vix poſtliminio illa exuere*

potue-

potuerim (ſi exui) vindiciis ſecundùm libertatem datis redii læto Deo ad intermiſſa ſtudia, & jam cæptam de Magiſterio Antiquorum Philoſophorum lucubrationem abſolvi. Inde alia multa conſcripſi, quæ ſucceſſivè, (Deus mihi vires, & ô utinam animi quietem à curvis mentibus!) edam. Alia item in dies conceperam, quibus jam perfecturus admoveram calamum. Cùm ecce inciderunt aliæ occupationes, quæ coëgerunt, ut inquit ille, manum de tabula. Sepoſui hæc litterarum ſtudia ad alia divertere humaniter perſuaſus ſum. Philoſophiam gravioremque ſcientiam mane prælegere provinciæ mihi demandata. Subii onus, & ſi non lubens ſaltem non omnino repugnans, ne calcitro, & refractarius viderer tam amicè rogantibus. Huic curæ, & muneri aliquot annos impendi. Sed cùm ita naturâ comparatum ſit, ut nihil

tam propenſo animo facias, quod non aliquando faſtidium pariat, ut verè cum Ariſtophane dici poſſit. Satietas omnium rerum. *Quædam intercurrerunt, quæ cùm mihi non ſatis ad guſtum, ſatietas inde paulatim me cepit, atque faſtidium ejuſmodi muneris ulteriùs ferendi, excuſſit. Vtque me ab his vinculis liberum vidi, ut otii impatiens priores litteras reguſtare cœpi. Cúmque Muſæ nemorum umbris & gaudeant fontibus, Horatio præcone, lib. pr. Carm. Od.* 1.

————Me gelidum nemus,
Nympharúmque leves cum Satyris chori
Secernunt populo.

Et lib. 2. Epiſt. 2.

Scriptorum chorus omnis amat nemus, & fugit urbes.

Locum

Locum mihi legi ab urbe ſatis amicum & aëris ſalubritate planè felicem, quo

——————primùm roſei vitales luminis auras
Carpſimus. Hîc nutrix ubera prima dedit.
Hîc mihi naſcenti primùm riſêrè parentes,
Vagitúſque meos, audiit iſte locus.
Hîc fuerant Cunæ, quæ me mulſêre jacentem.
Hîc cecinit mater carmina dum vigilo.
Ex collo patris onus hîc prædulce pependi
Et matris gremio ſarcina grata fui.
Repſimus hîc pueri, brevis hæc tulit area primùm

Qua-

Quadrupedem. Teneras ſuſtinuitq́; manus.
Hîc primùm ſteteram bipes, & crepitacula quaſſans.
Blanditias matri bleſáque verba tuli.
Hic locus infantem paribus colludere vidit
Perdere, & ancipiti vincere ſorte nuces.
Hîc ſerta ludens equitavi in arundine longa
Atque trochiſtus erat maxima cura mihi.

Verùm quia paucorum dierum mora perdidici, & reipſa planè expertus ſum, me non in ſecretum, aut penetrale veniſſe, ſed in locum potiùs maximè expoſitum turbæ ſalutatorum, inviſorum, circumſtrepentium, interpellantium; atque adeò mihi negotium non

Non ſolùm mea negotia, ſed & aliena faceſcere, hinc in ſecretiorem abire ſolemne mihi votum fuit, ut amiciſſimam ſemper ſtudiis ſolitudinem, ac quietem potiſſimùm nanciſcerer. Eſt in conſpectu collis, qui in montis majeſtatem, ſed leniter, & placidè aſſurgit, & ad tres lapides tantùm occidentem versùs extenditur: humilibus aliis ab Aquilone velut in obſequium ſuccenturiatus collibus amœnis, atque frugiferis, præaltis ultrà & eminentibus ſtipatus montibus. Aſcenſu facilis eſt; nam & pedes, & eques, rhedis, atque quadrigis itur, ſatiſq; commodè pervenitur ad ſummum. Sed & planè amœnus, virgultis, arboribus, vinetis, olivetis quà quà verſum conſitus, ac oppidorum, mapalium hinc inde longè lateq; patentium, quò magis ſcandis, proſpectu. Vbi evaſeris, Templum occurrit Virgini Deiparæ ſacrum, quod maxima ante

annum

annum M. DC. XXXV. *veneratione cultum, ut plurima gratiarum, ac miraculorum tabellæ, & alia tholo, & parietibus affixa, picta trophea ſatis jam planum faciebant, quæ nebulonum operâ igne prorſus abſumpta. Sanè quia multi malis animi corporiſque remedia iſtîc, aut levamenta reperiebant, quid mirum multa etiam in rei teſtimonium monumenta excitâſſe? Adeſt & cœtus Flaminum Regularium Virgini* VII. *dolorum famulantium, quibus Cœnobium ponè Eccleſiam ad meridiem. In eo Xyſtus, & quidem ſatis ampla, & deambulationi accommoda, quæ una dubio-procul locum maximè commendat, & proſpectu patentiſſimo, quo ad invidiam uſque potitur, ſummoperè extollit; eſt enim ſpecula; quæ & animum ineffabili quadam jucunditate reficit, atque perfundit, corpusq; aëris ſerenitate, ſitûs amœnitate, ſi qua defatiga-*

§ § *tiga-*

tigatione, & exercitatione in aſcenſu gravatum planè levat, & intimè exhilarat. Vt ſcitè quidem dixerit ille: Corporis, ac mentis præbet tibi ſpecula vires. *Et utraque hac dote, & mihi & nulli non maximè probatur. Sanè explicari non poteſt quàm longè latéque pateat in expoſitam planitiem proſpectus. Ab Oriente ſubjectam habet urbem ad bis ſextum lapidem.*

Molli quam flavus percurrit flumine Mela.

A meridie tam fusè porrigitur, ut vix terminum ullum videatur habere, niſi quem ipſe ſibi oculus imbecillitate ſua fecerit. Sed quæ planities? Tanta æquabilitate, culturâ, conſiturâ conſpicua, ut non agros, non arva, non loca campeſtria videre exiſtimes, ſed hortos, ſed viridaria, ſed loca quàm maximè domeſtica. Nullibi Ceres ſuas opes explicat

eat magis, nullibi fundit uberiùs. Sed quanta hîc Nymphæ, Hamadryades, Napeæ, Najades, libertate, ubertate ludunt, atque laſciviunt?

——————Tibi lilia plenis
Ecce ferunt Nymphæ calathis, tibi candida Naïs
Pallentes violas; & ſumma papavera carpens
——————Hîc ubere largo
Luxuriant ſegetes, hîc mollia gramina tondet
Armentum, hîc lentis amicitur vitibus ulmus,
Illinc muſcoſo tollunt ſe robora trunco.

In tam vaſta planitie Oppidis, villis, viculis, domibus referta, civitas vel per umbram cernitur diſtans XXX. M. P. *& in ea Turris, quæ cæteras Italiæ magnitudine, celſitudine anteit. Ab occaſu*

civitas alia conſpicitur in aſcenſu montis conſtructa, & ſuppoſita in ſpecula. Diſtat XVIII. M. P. *ampla, civium induſtriâ, ac mercaturâ maximè celebris. Longè ultrà occidentem versùs cernitur ampliſſimæ, clariſſimæ urbis, quæ* L. M. P. *ſed admodum tenuiter, & occidente jam ſole, ſummitas majoris templi, quod Dominicum diceret Hieronymus, & aliæ item, quæ minùs abſunt. His dotibus locus ornatus, ac mihi maximè commendatus, viſus eſt planè dignus, qui à Muſis coleretur, quippe quæ præruptis montium non indelectentur, biverticis Parnaſſi jugis aſſuetæ. Hîc me ſtudiis totum tradidi, ac lectioni bonorum auctorum, quorum mihi non levem copiam fecit humaniſſimus* FORTVNATVS VINACESIVS *vir cùm omni honeſta cognitione liberaliter eruditus, linguarumq; varietate, peritiâ illuſtris, tum vita & moribus*

adeò

adeò probis, & candidis, ut omnibus gratus, & amabilis ſemper extiterit. Quod mihi argumentum nonnulla præſertim Italicè conſcribendi, quorum alibi ſigillatim mentionem habemus. Et quamvis hîc quoque multa intercurrerint non valde amica, ut aptè huc quadret, quod de Oratore ad Q. Fr. *Cicero ſcribit :* Nam qui locus quietis, & tranquillitatis pleniſſimus videbatur: in eo maximæ moles moleſtiarum, & turbulentiſſimæ tempeſtates extiterunt. *Attamen nihil me penitus à litterarum cultu abduxit, vel ab amico loco pepulit, quippe qui probè jam ab ineunte ætate uſque norim, Senecâ doctore :* Vbi tranquilla tibi omnia videntur, ibi nocitura non deſunt, ſed quieſcunt.

Hîc amicorum precibus humaniter coactus ſum, ut inter cæteras, quas Latinè exaravi lucubrationes, hanc potiſ-

ſimùm de Magiſterio Antiquorum Philoſophorum ad chalcographorum metalla damnarem. Quo quidem in argumento, etſi veterum aliquammulti, ut modò dicebam, ſint diligenter verſati, eorum tamen monumenta Chronus ille pater abſumpſit, uno, vel altero ſuperſtite, & quidem quem viderim, Diogene Laërtio, qui vixit, & ſcripſit temporibus Antonini Pii, vel paulò pòſt; & eo quidem in hoc argumento pluribus deficiente, ut ejus, & noſtram conferenti lucubrationem haud ægrè conſtabit. Non is tamen ſum, qui me idcircò pluria ab eo hauſiſſe, ſumpſiſſe, diffitear. Sumpſi, ultro fateor. Quidni? An ego novitius alienis fontibus hortulos meos irrigavi? Vide quæ alibi hac de re latè diſſerui in libro. De Plagiariis. *Fateor ſumpſi.* Eſt enim obnoxii (*magnus ait Scriptor*) animi, & infelicis ingenii deprehendi in furto malle,

malle, quàm mutuum reddere. *Debitorem iſta profeſſio facit, furem ſilentium. Quid ipſe contulerim æqui pro-biqué noverint Lectores. Vtcumque his fruere ſi lubet: ſin minùs cum Horatio lib. 2. ep. 1. inter chartas ſepone ineptas, quibus thus, piper, & ejuſmodi alia amiciuntur. Spondeo*, LECTOR, *hilum non ego iraſcar.* Vale.

DE

DE MAGISTERIO *ANTIQVORVM* PHILOSOPHORVM

LIBER PRIMVS.

CAPUT PRIMUM.

Falsò Græcos Philoſophiæ cunabula ſibi vendicare.

PHILOSOPHIAM multò priùs apud Barbaros, (duce, & auſpice D. O. M. à quo bona cuncta procedunt, & maximè ſapientia) quàm apud Græcos,

floruiſſe, nullus eſt adeo in literis hoſpes, qui neſciat. Sanè antiquitatis ſcientiſſimis maximaque auctoritatis ſapientiſſimis viris perſuaſum illud ſemper fuit, à Barbaris (præſertim Hebræis) ad Græcos, à quibus ad nos, omnem manaſſe ſapientiam. Cujus quidem rei tam clara apertaque extant in ſacris literis teſtimonia, vt ceritus planè, & commotæ mentis vitio laboret, qui ea vel in dubium revocare, vel minimum inficiari velit. Videas, ſi commodum, atque libentia, Lector, Flavium Ioſephum duobus contra Apionem libris, Iuſtinum martyrem in ſermone exhortatorio ad Gentes, Clementem Alexandrinum lib. pr. ſtrom. Euſebium lib. IX. & X. Præparat. Evang. Cyrillum lib. pr. contra Iulianum, Theodoretum lib. de Græcanicis affectionibus, Beroſum lib. 3. Hiſtor. Benedictum Pereſium lib. 4. de commun omnium rerum natur. principiis, & affectionibus cap. 2. Doctos, & eruditos Conimbrenſes in principio Logicæ, & alios paſſim. Cur enim longiori moleſtaque oratione Lectorem meum

meum conficiam in re maximè aperta, ac minimè pluribus hic indigente? Sat ſit ſeu digito fontes indicaſſe, unde quis poſſit ſitim ad votum explere.

Quare valeat primò Diodorus Siculus hiſtoricus Græcus, quamvis longè excellentiſſimus, qui libro primo Variæ hiſtoriæ, quam Bibliothecam nominavit, putat Græcis non eſſe Barbaros antiquiores. Secundò Diogenes Laërtius item Græcus, qui Vitas Philoſophorum ſcripturus eò calami acumen omne direxit, ut Philoſophiæ originem non Barbaris, ſed Græcis planè attribueret. Neque me ejus verba deſcribere hoc loco pigebit. Ea ſunt: *Philoſophiam à Barbaris ſumpſiſſe, plerique autumant: Sed hi profectò* (paulò poſt) *per imprudentiam Græcorum rectè facta inventáque Barbaris applicant.* Sed hoc leve fortaſſe, & leniter ferendum Laërtij mendacium. Quod addit longé putet, & Græci hominis impudentiſſimam jactantiam, & arrogantiam magis olet, cùm ait, *ab iis enim* (ſcilicet Græcis) *non ſolùm Philoſophia, verum ipſum quoque hominum genus initio*

manavit. Mendacium mea ſententia ; adeo magnum,imprudens,&palmare,ut fuſtuario planè ſit dignus , qui jactabundus illud proferre non erubuit. Noſco tamen, & ignoſco , quod tibicine Plinio lib. 3. cap. v. natur. hiſtor.probè iam noverim : *Græcos genus in gloriam ſuam effuſiſſimum.*

Vulgaris eſt , ſed planè vera Satyrici in Græcos vox. Iuvenal. ſat. x.

& quicquid Græcia mendax
Audet in hiſtoria.

Lactantius lib. pr.divin. Inſtit. cap. x v. *incredibile eſſe,* ait , *quantas mendaciorum nebulas excitaverit Græcia*; Quintilianus lib. 2. cap.4. Inſtitut. orator. *Græcis hiſtoricis plerúmque poëticæ ſimilis eſt licentia.* Quod vel ex uno Herodoto facillimè colligi poteſt , cui tamen , & cœteri non adeo longo intervallo proximi ſunt. Conſule Melchiorem Cano lib. x I. de locis theologicis , qui id circo plures commendat , & extollit ſcriptores , qui fidem Græcis abrogaverunt hiſtoriis. Et meritò quidem. *Quoniam* , ut ait Ioſephus lib. pr. contra Apionem, *qui ad*

ſcri-

ſcribendum ſe præparabant, non ſtudium veritatis exhibuerunt, licet hæc promiſſio ſemper habeatur in promptu: Sed verborum magis prolationem maximam.

Quod ſi quem ab hac Græcorum labe excipere lubet, cur non maximè Platonem virum maximum, & communi ſapientum ſuffragio, divinum? Is quippe generis ſui haud impudenti indulgens iactantiæ, ut tantum decebat Philoſophum (Philoſophus enim debet vehementer odiſſe, atque horrere mendacium, cùm defenſor ſit, magiſter, & interpres veritatis) fixo pro veritate pede iugiter ſtetit, ut non immerito eum. A. Gellius lib. x. cap. XXII. veritatis hominem amiciſſimum prædicaverit. Nam in ipſo Timæi principio ſacerdotem introducit Ægiptium, qui Solonem Græcorum ſapientem his verbis alloquitur: *ô Solo, Solo, Græci pueri ſemper eſtis, nec quiſquam è Græcis ſenex.* Quod idem, & in Cratylo,& in Convivio, & in Epinomide repetit. Nec celeberrimus eius id inficiatur Ariſtoteles auditor lib. pr. metaph. ubi de Ægiptiis. Quibus planè ſuc-

cinit Ioannes Picus Mirandulanus in proœmio Heptapli: *Ægiptiis autem uſi ſunt præceptoribus Græci omnes, qui habiti fuere diviniores, Pythagoras, Plato, Empedocles, & Democritus. Notum illud Numemij Philoſophi, non aliud eſſe Platonem, quam Atticum Moſen. Sed & Hermippus Pythagoricus atteſtatur, Pythagoram de Moſaica lege plurima in ſuam Philoſophiam tranſtuliſſe.* Euſebius lib. x. Præparat. Evang. cap. 2. & præfatione in lib. v. *Græci homines, mercatorum inſtar diſciplinas extrinſecus conquiſiverunt.*

Adde quod quos tanquam ſapientes venerata eſt, & maximè coluit, antiquitas, non Græcos, ſed magnam partem Barbaros fuiſſe conſtat. Orpheus, Thrax fuit; Thales, Phœnix; Mercurius, Ægiptius; Zoroaſtes, Perſa, Athlas, Libicus, ſeu Phrix; Anacharſis, Scyta; Pherocrides, Syrius.

Ex quibus omnibus clarè colligitur nõ Græciam Philoſophiæ extitiſſe parentem, ut conſtanti aſſeveratione eorũ multi literis produnt, ſed potius apud eos (ita dixerim) educatam, & altam, atque

que adeo inde maxima ejus hauſiſſe, habuiſſe incrementa. Quamvis enim, & in Oriente illuſtres floruerint viri, & philophia ipſa fuerit ſemper maximè culta; attamen arctè nimium intra terminos hæſit illa ſuos, quod eſſet ſpinoſior, & obſcurior multiſque myſteriis, ac ſacramentis, ut ipſi vocabant, intricata, at ubi devenit in cultam illam Græciam, ſoli aëriſque temperie feliciſſimam, quàm altas, quàm latas egit illa radices? Nuſquam magnificentiùs, nuſquam ſplendidiùs & habita fuit, & culta. Nempe quia nuſquam ingenia invenit magis idonea, magis tantæ majeſtatis capacia. Teſtes ſunt præclariſſimi illi inocciduæ in terris gloriæ, viri dicam, an Heroës? Pythagoras, Plato, Hypocrates, Euclydes, Ariſtoteles, Galanus, & qui hos longè præceſſit Homerus, & tota illa ſcientiarum omnium maximè cultrix familia. Quis enim à Græcis tam altè tam ſublimè evolavit? Annon ſumma nobis votorum eſt eorum poſſe veſtigia premere, intelligentia damnari? Quis unquam præclara illa, & uſque ad mira-

culum docta æquavit iugenia? Quis non æmulatus, ſed quis aſſecutus?

Perperam ergo noſtri male habent Epicurum, quod dixerit: neminem niſi Græcum eſſe magis idoneum ad philoſophandum. Quid quæſo aliud docuit Philo ille doctiſſimus, & eruditiſſimus apud Euſeb. lib. VIII. Præparat. Evang. cap. V. Cum inquit: *Græcia ſola homines generat verè coeleſtes atque divinos, natura ad omnem ſcientiam natos, cujus cauſa eſt ſubtilitas aëris*, & in libro. Quod omnis probus ſit liber, de Athenienſibus præcipuè loquens ait: *Athenienſes me judice, acutiſſimi hominum. Quod enim in homine pupilla, in anima ratio, hoc Athenæ ſunt in Græcia.* Mihi quidem videtur, quod nedum Philo Epicuri fulciat, & firmet ſententiam, ſed longè magnificentiùs de Græcia loquatur, ac Epicurus ipſe, qui Græcus, quippe qui ut erat modeſtiſſimus, ne nimiùm patriæ tribuere videretur, ſatis habuit perfunctoriè è re quid innuiſſe. In Philone nulla ejuſmodi ſuſcipio, cum natione fuerit Iudæus, patria Alexandrinus, Sed de hoc ar-

argumēto,quia fuſè in Epicuro Expenſo lib.3. n. v. cur pluria hic ?

Et quoniam quæ de Philoſophia Barbari ſcripſerunt parum accommoda erant, quâ doctoribus, quâ auditoribus, ut pote indiga methodi, & expertia ordinis,quo traderentur. Inſuper exilia, jejuna, confuſa, & ænigmatica: Græci porrò maximi ejus cultores ſapientiſſimi viri diſtributè omnia, ordine, & forma inſtitutionis tradiderunt; eaque ubertim doctè, & eleganter, vt Docti optimè norunt. Quo quidem in argumento facilè omnes longè antecellit Ariſtoteles, in cujus mente ceu in puriſſimo ſpeculo, lucidius, & expreſſius natura rerum tota refulſit. Et maximè ordo ille qui in tradendis artibus, & diſciplinis, nedum utilis, ſed planè neceſſarius eſt. Ac proinde vel uno hoc nomine Ariſtoteles maxime dignus, qui ab omnibus legatur, ametur, & celebretur. Scripſêre quidem ante Ariſtotelem veteres Philoſophi nonnulla, ſed pauca ea, confuſa, imperfecta.

Primus omnium Plato eleganter ſanè

multa, & doctè: Sed parum ad uſum doctorum, & auditorum, quo maximè ſcholæ utuntur. Neque ſatis ordinatè de Philoſophia egit: neque ullius diſciplinæ ſyſtema compoſuit, ac omnia forma dialogorum proponit.

At quis Ariſtotelis quæſo aureas lucubrationes evolvens non vbique veræ germanæque diſciplinæ ordinem miratur, inſtitutioniſque aptiſſimam, decentiſſimam formam? Bartholomæus Keckermanus intimè, & optimè id ipſum mecum ante advertit, qui tr.2. præcogn. log. cap. 2. dicere non dubitavit: *Dicamus ergo, quod verum eſt, ſolam Peripateticam ſectam Deum hac gloria, & honore dignari voluiſſe, ut quæ Plato, & alij confuſa ſine methodo, & ordine, ſemiplena, imperfecta, per floſculos methaphorarum, & fabularum involuera tradidiſſent, ea Ariſtoteles primus humano generi traderet ſub forma methodi dextræ, regulatæ, & quarum partes omnes plenæ.*

Mirabitur igitur nemo Philoſophiam apud Græcos tam altè exeruiſſe caput, tã ſe latè fudiſſe, ſparſiſſe: quantum enim

ad

ad comparationē ſcientiarum conferat ordo quid opus hic pluribus?Probè & intimè noverint, qui in hac paleſtra maximè deſudarunt. Enimverò ſicut ordo mundi eſt forma, adeo ut ſi ex mundo ordinem demeris protinus in Chaos ſit ille ruiturus, ſic etiam ex diſciplinis ſi auferas ordinem in tenebricoſam inſcitiam, & planè deſpiciendam confuſionem collabi neceſſum ſit.

De hac una Græcorum Philoſophia provinciam ſuſcepi jugem eorum inter ſe, in ea ſive tradenda, ſive addiſcenda, ſucceſſionem, ac Magiſterij munus hic tradere. Ce Barbarica ne verbulum quidem. Viderint quibus otium vetera monumenta ſcrutari. Nobis hic extra lineam argumentum, qui de vna Græcorum. Si quis, & Babaricæ originem, incrementa pernoſcere cupit, legat Georgii Hornii Hiſtoriam Philoſophicam, quam in VII. digeſſit libros. Spondeo non is abibit ieiunus, ſed multa variaque lectione, eruditione imbutus, ac plane ſaginatus.

CAPVT II.

Græcorum Philoſophiam in genera duo diſpeſco: deinde Phyſicorum Philoſophorum magiſterium exequor Socratem uſque, à quo omnis de vita, & moribus fluxit oratio.

Philoſophia apud Græcos clariſſimis, quaſi honneſtata parẽtibus principes duos iactat auctores, Thaletem Mileſium Pherocidemq́ue Syrium, qui Pythagoræ doctor, Ab his genera duo philoſophiæ ſuborta Ionicum, & Italicum vtrumque à loco; in quo maxime viguit ſic nominatum. Ionicum quidem à Thalete, qui ex Ionia: Italicũ verò à Pythagora, quod plurimum in ea Italiæ parte ſit philoſophatus, quæ magna Græcia vocabatur, uti Tarentum, Metapontus, Heraclea, Croto, Thurij. A quo, & ſanctiſſimum philoſophiæ nomen ferunt inventum. Habes hujus rei elegantiſſimam Ciceronis narrationem in Tuſcul. v.

DE

MAGISTERIO THALETIS MILESII, A' QVO IONICA PHILOSOPHIA.

THales (nam de Pythagora tertio libro) unus fuit è VII. ſapientibus, quos Græcia maxime coluit, & eorum antiquiſſimus, ut apud Euſebium lib. x. Præparat. Evangelicæ cap. 3. Tatianus ait, & ſapientiſſimus, ut Cicero lib. 2. de leg. & Apulejus Floridorum lib. IV. Sapientiæ amore ſaucius in Orientem abiit, ibique Ægiptiis Sacerdotibus familiariter adhæſit; & ut Ariſtoteles tradidit pr. metaph. cap. 3. naturalis philoſophiæ inventor fuit, & parens, quod primus de rerum natura diſputavit, ut Lactantius lib. 3. divin. Inſtit. cap. XIV. tradit, & Minucius in Octàvio. Vide Apulejum loco cit. qui ejus artes, & inventa latè enumerat multiſque proſequitur verbis. Quamvis autem Mileſium paſſim ſcriptores appellent; multi tamen non eum Mileſium, ſed Phœnicem fuiſſe cenſent

Euſebio

Euſebio teſte lib. x. Præparat. Evang. cap. 2. ejus verba ſunt: *Thalem autem multi non Græcum, ſed Phœnicem dicunt: nonnulli Mileſium fuiſſe arbitrantur.* Et multò antè Clemens Alexandrinus idem innuerat lib. pr. ſtrom. *Sed & Thales, ut Leander & Herodotus referunt, Phœnix erat: ut verò aliqui exiſtimant Mileſius.* Nec illud ſilentio hic præterierim Laërtium velle non Thaletem, ſed Anaximandrum Ionicæ ſectæ nomen dediſſe: contrà Thaletem ait D. Auguſtinus lib. VIII. de Civit. Dei cap. 2. Quæ eſt communior ſcriptorum ſententia. Atque ita Euſebius loco nuper cit. Benedictus Pereſius lib. 4. de commun. omnium rerum naturalium principiis, & affectïonibus cap. 2. Docti & elegantes Conimbricenſes in proëmio Logicæ, qui & Leandrum citant, atque Herodotum. Quos ſequuti nos quoque Thaletem caput præfiximus ſeriei. Porrò Leander vel Leandrius hic, quem citant. Conimbricenſes, patria Mileſius fuit, deque Mileto, & Mileſiis commentarium reliquit. Ex eo Laërtius lib. pr. in Thalete refert, ut Batycles

Arcas, phialam relinquens, eam dari juſſerit ſapientiſſimo: ea autem data primùm fuerit Thaleti; ab hoc alteri; ab illo alij, & inde alij atque alij, uſque dum in orbem rediens reddita ſit Thaleti; qui illam miſerit Apollini Didymæo, cum hiſce, juxta Callimachum, verſiculis., Quos ſic latinè vertit Gerardus Io. Voſſius lib. 3. de Hiſtoricis Græcis.

Me Neleo, quoi ſubdita omnis eſt plebes.
Indeptus hoc bis præmium Thales donat.

Naſcitur Thales anno primo olympiadis xxxv. Naturæ conceſſit olymp. LVIII, ut teſtimonio Apollodori, & Soſicratis firmat Laërtius. Bini illi ab auctoribus recenſentur diſcipuli. Mandraytus Priennenſis, de quo L. Apulejus lib. 4. Florid. refert, quod eum Thales Mandraytum quotiens ſol magnitudine ſua circulum quem permeat, metiatur, docuiſſet, hic nova, & inopinata cognitione impendio delectatus, optare juſſit, quantam ſibi vellet mercedem, pro tanto documento, rependi; ſatis mihi, Thales inquit, mercedis

cedis fuerit, ſi id, quod à me didiciſti, cùm proferre ad quoſpiam cœperis, tibi non adſciveris, ſed ejus inventi me potiùs, quàm alium repertorem prædicaveris. Thaletis alter auditor

ANAXIMANDER MILESIVS

Præceptoris concivis, & in perſcrutanda rerum natura in ſchola ſucceſſor. Ejus Parmenides, Theophraſto apud Laërtium auctore, fertur auditor, quamvis Xenophanis, ut alij. Et Anaximander F. hiſtoricus æqualis Xenophonti, & Cteſiæ; nam Suidas vixiſſe, ait, témpore Artaxercis Mnemonis. Ejus meminit Laërtius lib. 2. in Anaximandro philoſopho de quo hic ſermo dicens: *Fuit & alter Anaximander, hiſtoricus, & ipſe Mileſius, qui Ionica ſcripſit dialecto.* Mirum autem videtur, quomodo hiſtoricum eum dicant Suidas, atque Laërtius, & tamen hiſtoricum nihil ejus appareat: ſed Pythagorę Samij auditu maximè celebris Anaximander; annos namque natus Pythagoras XVIII. acceſſit ad Anaximandrum

mandrum, ejuſque præceptorem Thaletem, qui tum ſenex, atque ab eo proficiſcendi in Ægiptum concilium accepit. Ex quo Italicam ſectam Ionica juniorem negari minimè poteſt. Diodorus Epgeſius Anaximandri vitam conſcripſit. Meminit Laërtius lib. VIII. in Empedocle, uti & Empedoclem ſcribit Anaximandri æmulum fuiſſe. Laërtij verba ſunt. *Diodorus Epheſius de Anaximandro ſcribens, ait, hujus fuiſſe æmulum.* Anaximandro ejus ſucceſſit auditor

ANAXIMENES MILESIVS

Qui, & Parmenidem audivit, ſi aliquos audias. Huic Diogenes Apollonata vir phyſicus, & eloquentia, & ſapientia clarus, operam dedit, Antiſthene auctore, qui de Philoſophorum ſucceſſionibus ſcripſit; Archyaſq; familiaris dictus Pygodoteras, actor Tragœdiarum, ut Demetrius tradit. Cujus diſcipulus Polus ille Ægineta, qui cœteros omnes hiſtriones ſuperavit, quamvis Hermippus Smyrneus Lacriti rhetoris diſcipulum fuiſſe

fuiſſe dicat Archyam. Et hic ille Archyas eſt, qui princepes ſatellitum ab Antipatro conſtitutus Hyperidem oratorem, & Ariſtonicum Maratonium, & Himeræum Demetrij Phalerei fratrem cepit, Hyperidis etiam lingua avulſa. In ſuper Demoſthenem, qui veneno mortem ſibi conſcivit, ut in ejus vita Plutarchus, & in Demoſthenis encomio Lucianus. Sed Anaximenis inſignior auditor

ANAXAGORAS CLAZOMENIVS

Mens appellatus, quod primus ethnicorum Philoſophorum pronunciaverit divinum intellectum eſſe cauſſam efficientem rerum omnium, ut Ariſtoteles pr. metaph. cap.3. & Plato in Theæteto, habent. Floruit olymp. Lxx. naturæ verò conceſſit olymp. Lxxviii. an. primo, vel Lxxix, ut aliis magis placet. Familiaris illi Metrodorus Lampſacenus, alius omnino ab eo, ut patet, qui Epicuri diſcipulus fidiſſimuſque fuit amicus, & comes; hic ſiquidem præ illo junior, ut conſideranti conſtabit. Ejus in Io, valde Furore

Furore Poëtico, meminit Plato. Auditor Thucydides Athenienſis hiſtoricus ab omnibus ferè laudatus, ut pote qui veritatis ſtudioſus maximè fuerit, & ea literis tradiderit, quibus ipſe interfuit. Quamvis non defuerint apud Ioſephum lib. pr. contra Apionem, quibus eius fides ſuſpecta fuerit, ut verba eius planè teſtãtur. In multis etiam tanquã mentitus accuſatur, etſi accuratiſſimam videatur ſui temporis hiſtoriam ſcripſiſſe. A quo porrò fuerit ad ſcribendum excitatus aperiũt Marcellinus in eius vita, Photius tamen Lx, & Suidas in Thucydides, atque ex his Voſſius lib. p. de Hiſtor. Gr, cap. ıv. nempe ab æmulatione Herodoti, cùm audiſſet eum libros ſuos recitantem ſive olympiæ, ut quidem volunt, ſive potius Athenis in Panathæis, ut aliis magis placet. Eius dictionem pluribus in locis Cicero commendat in libris de oratore: Quintilianus lib. x. cap. 1. Adeo charus fuit Demoſtheni, tantique eum fecit; ut octies manu ſua deſcriberet, ut ex ſcimus Luciano. Sunt tamen, qui tot Thucydidis virtutibus obſcuritatis vitium opponant.

opponant. Et quidem Romanæ eloquentiæ pater, ut videre eſt in Bruto, cujus teſtimonia afferre hic ſuperſedeo. Aliqui quod docuerit Antiphontem unum è decem Græciæ oratoribus, literis produnt: alij contrà Thucydidem Antiphontis diſcipulum faciunt: atque ita diſſentiuut Cœcilius Siculus, & Marcellinus in ejus vitæ hiſtoria. (cujùs, & alteram ſcripſiſſe Aphtonium Antonius Poſſevinus teſtatur in App. ad Hiſtor. ſect. 2. cap. v.) Anaxagoræ auditor Euripides Athenienſis poëta tragicus ſapiētiſſimus, qui in tragicorum omnium (ut Plato, & Ariſtoteles teſtantur) princeps. Cujus ſingulos verſus ſingula teſtimonia Ciceroputare ait. De eo pluria congeſſit C. Rhodiginus lib. XXIV. Antiq. Lect. cap. x. & antè Thomas quidam Magiſter grammaticus, qui, ut diſcipuli, ita Præceptoris Anaxagoræ vitam conſcripſit; Geſnerus in Bibliotheca ſua Theodulum vocat, quod nomen in manuſcripto exemplari extare docet. Porro Euripides primò in rhetoricis Prodici Cei diſcipulus fuit: in phyſicis Anaxagoræ, & Archelao

lao adhæſit: in moralibus doctore uſus eſt Socrate, ut in Muſicis Damone. Carneades Atheníenſis philoſophus, cujus meminit Suidas, Anaxagoram audiit. Philoſtrato inter Sophiſtas enumeratur. Pericles Athenienſis, quem Plato in Phædro ait perfectiſſimum fuiſſe Oratorem. In ejus labiis ſeſſitaſſe Pytho, hoc eſt, perſuadendi Deam: & ut Cicero in 3. de Oratore interpretatur, Leporem: ut Ennius Suadam: (Horatius diminutivum hujus ſuadelam dixit lib. p. ep.) Eupolis antiquæ comediæ auctor his verſibus ſcripſit:

Præſtantiſſimus hic fuit hominum ad dicendum
Quando eſſet ingreſſus, quemadmodum boni curſores,
Sexdecim pedibus ſuperabat, orans ipſos rhetoras.
Velox ad dicendum quidem, ad námque ipſius velocitatem
Pytho quædam incidebat in labris,
Ita demulcebat, & ſolus Oratorum
Aculeum reliquit audientibus.

Adi Politianum, cujus ea eſt verſuum è græco

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

è græco tralatio lib. Miſcell. cap. XCI., qui pluribus de Pytho, Suada, Suadela, & meminit Giraldus ſyntagm. I. Hiſtor. Deorum Gentilium. Quorum verſuum ſententia, & apud Ciceronem ſæpe, & Quintilianum videre eſt. Ob incredibilem ejus eloquentiam veteres dixêre cœleſtem; fulgurare, tonare, permiſcere omnia. Cicero de perfecto Oratore ad M. Brutum. *Pericles quidem dixit atticè, cui primæ ſine controverſia deferebantur. Qui ſi tenui genere uteretur, nunquam ab Ariſtophane poëta, fulgurare, tonare, permiſcere Græciam dictus eſſet.* Et ante in eodem libro jam dixerat: *Siquidem etiam in Phædro Platonis hoc Periclem præſtitiſſe cæteris dicit oratoribus Socrates, quod Anaxagoræ phyſici fuerit auditor, à quo cenſet eum cùm alia præclara quædam, & magnifica didiciſſet, uberem, & fœcundum fuiſſe, gnarumque (quod eſt eloquentiæ maximum) quibus orationis modis quæque animorum partes pellerentur.* Vide eundem 3. de Oratore, quo locis Periclis laudes ubertim exequitur. Inſuper Anaxagoræ, & alios adhibuiſſe doctores communi con-

conſenſu tradunt ſcriptores. In Muſicis quidem Damone uſus eſt præceptore, qui cum eſſet maximus ſophiſta, ut in vita Periclis ſcribit Plutarchus; muſicus tamen dici maluit, ut eo nomine dicendi vim occultaret; priſci enim ſophiſtæ ad evitandam invidiam artem ſophiſticam ſuam aliarum artium ſpecie occultabant, ut Plato in Protagora tradit, vel contra ſophiſtas. Homerus quidem, & Heſiodus, & Simonides ſub poëmatis velamine. Orpheus verò, & Muſæus, & eorum ſectatores ſub ſacrorum oraculorum appellatione. Aliqui gymnaſticam eam artem appellabant, ut Iccus Tarentinus, & Selybrianus Herodicus ſophiſta multò inferior. Alij autem, ut Pytocles Chius ſophiſta doctiſſimus, Damon, & alii permulti ſub muſicæ artis velamine facultatem ſophiſticam occuluerunt. Periclis non ſemel meminit Plato, qui & Agathoclis diſcipulum fuiſſe ſcribit. Et non ſolùm in arte muſica, ſed in aliis quoque rebus omnibus iucundiſſimum. Ariſtoteles apud Pythoclem muſicæ Periclem operam dediſſe ait. Præterea Zenoni

noni Eleatæ, & Parmenidi adhæſit. Plutarchus lib.v.quæſt.convival.q.3.Periclem Xenocratis in Academia diſcipulum facit. Sed labi profectò doctiſſimum virum valde addubito, longè enim Xenocratem præceſſit Pericles, ut bene conſideranti ſucceſſionem, quæ præ oculis, propalam fiet. Quod enim Anaxagoræ fuerit auditor, nullus eſt, qui ambigat, vel refragetur. Quare ſi Anaxagoram audivit quî potùit & Xenocratem, qui poſt Archelaum, poſt Socratem, poſt Platonem, poſt Pſeuſippum magiſterii munus obivit? Nimirum à temporibus Anaxagoræ, qui florebat Olympiade LXX. ad uſque Xenocratis magiſterium, quod ſumpſit Olymp. CX. anno 2. fluxere olympiades XL, hoc eſt anni CC. Quare vel alius ab eo, qui audivit Anaxagoram, Pericles; vel alius à Xenocrate, qui poſt Pſeuſippum in Academia magiſterii munus obivit, Xenocrates. Et quidem cùm alter item emicuerit longè ſenior Platonis diſcupulo Xenocrates ut infra in Xenocrate cap. 4. & lib. 4. cap. p. quem, & audivit Heraclitus, huiuſce

iuſce quoque Periclem dicendum planè fuiſſe auditorem, cùm & tempora maximè congruant. Quare mendum inſedit Plutarchum, quod in Accademia Xenocratem audierit Pericles, cùm nondũ ea floruerit. Quibus omnibus Pericles Aſpaſiam Mileſiam adhibuit mulierem magna doctrinæ fama præſtantem, quæ ſophiſtria, & rethorices fuit magiſtra, illum docuit, & ſimul amavit, ab eoque in matrimonium accepta unicè dilexit. Anaxagoræ item Steſimbrotus affirmat, Themiſtoclem audiendi ſtudioſum fuiſſe, & Meliſſo quoque phyſico operam dediſſe: at ut optimè Plutarchus advertit, temporibus ille erravit: contra Periclem enim Themiſtocle natu longe iuniorem Samios obridentem, Meliſſus pro Samiis imperator pugnavit. At qui is cum Anaxagora verſatus eſt. Quare magis Mneſiphilo adhærendum putarim, qui Themiſtoclem Phrearij auditorem fuiſſe aſſeverat; qui neque orator fuit, neque phyſicus, de quo vide Plutarchum. Anaxagoræ inſuper auditor fuit

ARCHELAVS ATHENIENSIS

Vel, ut aliis placet, Mileſius· Qui floruit Olymp. LXXXIV. Is ex Ionia ſcholam Athenas traduxit, cujus gratia dictus eſt phyſicus. Quamvis alij eam appellationem eò detorqueant, ut velint, quod rudem adhuc ſub Anaxagora phyſicam expolierit. Alij quod in eum Phyſica deſierit, cùm ejus auditor, atque ſucceſſor Socrates Athen. Ethicam, hoc eſt, moralem, introduxerit.

Caput III.

De

MAGISTERIO SOCRATIS Atheniensis A' Quo Socratici.

SOcrates primus fuit, qui à rebus occultis, & ab ipſa natura involutis, ut Varro ait apud Ciceronem lib.pr.Acad. quæſt. in quibus omnes ante eum philoſophi occupa.i fuerunt, philoſophiam avocaverit, & ad vitam communem tradu-

traduxerit; ut de virtutibus,& vitiis omninoque de bonis rebus, & malis quæreret. Aliqui tamen volunt, quod non illam partem practicam omiſerit, quæ rationem in cognitione rerum dirigit, hoc eſt, logicam. Hanc enim præcipuè excoluiſſe, vel illud argumento eſſe poteſt, quod Galenus, ſiue Ætius initio libri de ſectis Philoſophorum ei inventionem Ethicæ, & Logicæ tribuit. Et Apulejus à Socrate, Platone, Rationalem, atque Moralem philoſophiæ partem accepiſſe ſcribit lib. pr. de Philoſophia. Non quod integra earum ſyſtemata conſcripſerit, ut benè Hornius lib. 3. Hiſtor. Philoſoph. cap. XIII. ſcribit; ſed quos eas non leviter excoluerit, & amplificaverit. Naſcitur Socrates Olymp. LXXVII. an. IV, obiit ſeptuagenarius an. pr. Olymp. nonageſimæ quintæ, quemadmodum Apollodorus in Chronicis,& Demetrius Phalereus tradiderunt. Vir fuit acutus, & ſubtilis, feſtivus, laborum patiens, & qui non tam præceptis, quam vitæ exemplo doceret. Non in alium ejus ævi ſcriptores plurimis ſummiſque laudibus conſpirant, quàm in Socratem. Cicero

lib. 3. de Oratore. *Is* (Socrates) *omnium eruditorum teſtimonio, totiúſque judicio Græciæ, cùm prudentia, & acumine, & venuſtate, & ſubtilitate, tum verò eloquentia, varietate, copia, quam ſe quamcúnque in partem dediſſet, omnium fuit facilè princeps.* Horatius lib. pr. carm. od. xxix. Socraticam domum pro uſurpavit Philoſophia. eadem mente loquitur lib. 3. od. xxi.

Non ille quamquam Socraticus madet.
Sermonibus, te negliget horridus.

Nec ſolùm Gentiles, verum etiam Chriſtiniani ejus velificantur honori, Iuſtinus martyr, & alij ſcribunt Apologia ad Antoninum Pium, & Senatum, & μετ' λόγε Socratem vixiſſe, & ἀπὸ μέρες agnoviſſe Chriſtum. Quam rem alibi pluribus expendo. De Socrate quatuor libros Xenophon ſcripſit. De eodem & Lycurgo tres Spherus Boſphoranus. De Socraticis vero Idomenæus; & Phanias ſeu Phænias plures dixerunt. Ex iis habemus, juniorem adhuc, Socratem incredibili naturalis ſcientiæ cupiditate flagraſſe. Hoc idem ipſe teſtatur apud Platonẽ libro de anima. Præceptor illi

illi ante Arehelaum Damon. Laërtius lib. 2. Socratem, & Euripidem Anaxagoræ diſcipulos facit. De Euripide ſentio prorſus, cùm ortus ſit anno primo Olymp. LXX. ſub Calliade,ut tradit loco cit. Laërtius. De Socrate temporis ratio repugnare videtur; cùm enim Anaxagoras, ex hac luce deceſſerit an. pr. Olymp. LXXVIII, ut diximus ſuprà, & Socrates an. 4. Olymp. LXXVII. ſit ortus, ut Apollodorus iu Chronicis, & Demetrius Phalereus tradiderunt, quî Anaxagoram Socrates quartum nonniſi agens annum potuit audire? Quin ſi Euſebium in Chronico audias, qui Socratis ortum ſignat anno 2. Olymp. LXXVIII, quo anno Themiſtocles interiit, poſt Anaxagoræ mortem Socrates prodiiſſet in lucem. Aſpaſiam item Mileſiam Axiochi F. quæ nupſit Pericli, doctiſſimam mulierem, Socrates audivit, ad cujus ludum cum diſcipulis etiam frequenter divertebatur. Diotimam Mantineam, à qua artem amatoriam; Connum Metrobij F. qui Socratem muſicam, & fidibus docuit, cùm nobiliſſimus fidicen eſſet: Enæum, à quo poëticam: Iconoma-

chum, à quo Agriculturam, & Theodorum, à quo hauſit Geometriam. Adde Prodicum Chium, ut ſcribit Ticinus orat. VI. in Convivium Platonis. Præterea Euthydemum, & Dionyſidorum. FR. patria Chios, ſiue Thurios, ſapientiſſimos viros. Enimverò ſumma, par eſt, doctrina eluxiſſe doctorem, qui ſummos viros ad nominis informaturus erat immortalitatem. Si rivulis tanta doctrinarum ubertas, quæ in fonte facultas? Quid igitur mirum non ſolùm hominum conſenſu, verùm etiam Apollinis oraculo, doctiſſimum, & ſapientiſſimum omnium evaſiſſe? Socratici dicti ſunt ſectatores, qui (mirum dictu!) quam in diſſentientes inter ſe, & multùm disjunctas, atque diſpares abierint familias, conſtituerintque placita. Plato à quo vetus Academia. Antiſthenes, à quo Cynica. Ariſtippus, à quo Cyrenaica. Phædo, à quo Eleatica. Euclides, à quo Megarica; à quibus aliæ proſeminatæ ſunt ſectæ, ut in progreſſu patebit, ac pluribus docet Gerardus Ioannes Voſſius in libello de hoc argumento. Quod ex variis Socratis, & diverſis, & in omnem partem diffuſis

fuſis diſputationibus, quin ortum ſit, negari minimè poteſt; cùm tamen omnes ſe philoſophos Socraticos, & dici vellent, & eſſe arbitrarentur, ut optimè Cicero lib. 3. de Oratore, & Ariſtoteles apud Euſebium lib. xi. cap. 1. cujus ea ſunt verba: *Socratis ſucceſſores varij, atqne contrarij ſibi ipſis fuerunt: alij enim humilitatem, & turbationum ſedationem laudabant: alij voluptatem ſequuti ſnnt: ac nonnulli omnium ſcientiam, ſibi arrogabant: nonnulli nihil ſe ſcire profitebantur: & alij vel cum infimis converſabantur: alij è contrà difficiles, & ſoli ſecum vivebant.* Quare de Philoſophia verè dici poteſt, quod de diſcordia à maximo poëta dictum eſt VIII. Æneid.

Et ſciſſa gaudens vadit diſcordia palla

Quod quidem ipſamet idem, & verè dixit, & amarè conqueritur apud Severinum Boëtium lib. pr. de conſolatione Philoſophica proſa 3. Quò etiam ſpectat Lactantius lib. VII. divin. inſtit. cap. VII. *Facilè eſt docere penè univerſam veritatem per philoſophos, & ſectas eſſe diviſam.* Socratis Xenophon Athenienſis Grylli F. diſcipulus fuit, qui primus philoſopho-

rum ſcripſit hiſtoriam, & Muſa Attica dictus eſt, ut Laërtius in ejus vita refert: vel Attica Apes, ut Collectaneis Suidæ legere eſt, propter illam ſermonis dulcedinem, quam & hodie in libris ejus ſentimus, ut eam Gratiæ videantur finxiſſe. M. Fabius Quintilianus lib. x. cap. 1. Orator. Inſtit. cùm veluti catalogum texeret eorum, quod ipſe potiſſimum legendos duceret, Xenophontem non inter Oratores, nec hiſtoricos, (quod ipſum tamen iure, multorum exemplum ſecutus, facere poterat:) ſed in eorum numero recenſuerit, qui rectè vivendi rationem ſecuti, philoſophi nomen meruerunt: ut pote in quo dubites, eloquentiæ, an philoſophiæ potiores deferas. ſic reperies paſſim illorum omnium non adumbrata, ſed luculenta quædam, atque expreſſa veſtigia, ut non temerè antiquitùs creditum ſit, propter inaffectatam ejus iucunditatem, quam tamen nulla affectatio aſſequi queat, ut Fabius loco cit. huius ore Muſas locutas, ut Tullius ipſe in Oratore ait: ita ut illud de Pericle Eupolidis teſtimonium, quod paulò antè attulimus, in hunc rectiſſimè transfer-

tranſferri poſsit, in labris eius inſediſſe quandam perſuadendi Deam, qua facile quicquid in mentem venerat, effecerit: Vixit Xenophon Olymp. XCV, ut Euſebius in Chronicis teſtatur. Quo cum convenit Laërtius, qui floruiſſe ait anno IV. Olymp. XCIV. Luculentum in Xenophontem elogium extat apud Dionem Chryſoſtomum, oratione de dicendi exercitio, & apud Eunapium in proœmio vitarum Philoſophorum, & Sophiſtarum. Sed laus illa ſanè preclara habetur, quod cùm Thucydidem ſupprimere poſſet, primus ejus monumenta in lucem protaxerit, ut Laërtius teſtatur lib. 2. Quo vel ſolo nomine, quantum illi debent omnes literarum cultores, nemo non intelligit. Docuit Xenophon Cratiſthenem Phliaſium, auctore Athenæo lib. pr. Dipnoſoph. cap. XIV. & Ageſilaum, qui Rex Lacedoniis præfuit, réſque magnas geſſit, quæ fusè à Plutarcho narrantur; deque illius laudibus Xenophontis etiam extat orario. Xenophonti ſummus, & conſtantiſſimus amicus fuit Agatias Stymphalius. Æſchines Socratis diſcipulus fuit; ſed Æſ-

chines multi, ut Laërtius, atque Suidas, è re noſtra duo Socratem jactant doctorem; Athenienſis unus philoſophus Lyſaniæ F., qui & Socraticus paſſim ſcriptoribus nominatur: Alter ex Arcadia profectus. Criton Athenienſis Socratis diſcipulus fuit, ac familiariſſimus, cum quo uſque ad extremum philoſophatus eſt, ipſiúſque liberi Critobulus, Hermogenes, Eteſippus, Epigenes. Simon Athenienſis, Cebes Thebanus, Agathor, Phædrus, Autolycus, Chærephon Athenienſis, Chereſicrates, Glaucon Athenienſis, Simmias Thebanus, atque Phædondes, Aſtydamas ſenior Athenienſis primus, qui ex auditoribus Socratis ad poëticam ſe convertit. Miccus, qui Socratis ſocius, ac diſcipulus fuit, ſed admodum Sophiſta, ut in Lyſide Plato. Cheremon comicus Socratis diſcipulus fuit Gyraldo tibicine. Democritus Abderita, de quo infra ſuo loco. Præterea Theetetum, Eutyphrona, Lyſidem, Lamprocheni F. Glauconem Platonis FR., Charmidem Socrates inſtruxit, & unumquémque monitis ſuis, atque præceptis maximè juvit: Sicut & Iphicrati duci

animos.

animos adjecit, ut docet Laërtius, qui etiam eodem libro 2. in Anaxagora refert Anaxagoram quendam profeſſione Oratorem, alium omnino, ut patet, à Clazomenio, de quo modò, qui philoſophus, Socratis adjutorem fuiſſe. Quibus omnibus adde Alcibiadem propinquum Periclis Principis Athenienſium, cui & pupillus relictus eſt, omnium mortalium perhibetur formoſiſſimus, idemque ingenioſiſſimus, & maximæ in re militari induſtriæ. Nullius unquam unius hominis ad res diverſiſſimas maxima vitia, & maximas virtutes, flexibilius ingenium fuit. Ejus vitam & geſta ſcribunt Plutarchus, & Æmilius Probus, & Iuſtinus, vulgares ſatis Auctores. Illum autem ſolùm Socrates docuit, ſed & ſe amare ſimulavit, ut ab amoribus aliorum, qui impudici planè erant, averteret. Blandis & ſuavibus, cùm haberet obſequentem, verbis, ducebat: contrà aſperis ſæpe, & acribus, cùm ferocientem videret, ſibique placentem impendiò coërcebat. Ante Socratem, cùm adoleſcentulus adhuc eſſet Alcibiades, Antiphontem adiit unum è decem

Græciæ Oratoribus, quin & Antiphontis Patrem Sophylum, & comites habuit Lyſiam, Archinoum, & Critiam Spartanum, qui & ipſe Socratis diſcipulus fuit. Et quàmvis Alcibiades, & Critias nequiſſimi fnerint homines, nam alter patriæ hoſtis, alter crudeliſſimus omnium tyrannorum, haud præceptori vitio vertendum: non enim diſcentibus Socrates ſuum poterat accommodare ingenium, ſicut neque Plato ſuis Clearcho, & Calippo, nec aliis alij. Vide Appianum Alexandrinum de Bellis Mitridaticis, & Athenæum lib. xɪ. c. xxɪɪɪ. Nunc de Socratis diſcipulorum Magiſterio, ac ſectarum, quæ ab ipſis ſunt propagatæ, numero, ſeriem texamus.

CAPVT IV.

DE

MAGISTERIO PLATONIS ATHENIENSIS A' QVO PLATONICI, ET ACADEMICI.

A Platone ſapientiæ antiſtite Plinio lib. VII. c. 3. decem ſectas originem ducere Laërtius in Socrate ſcribit. Quamvis de origine ſectarum non una ſit ſcriptorum ſententia, cùm aliqui ad VII. ſapientum tempora, alij ad Socratis, nonnulli ad Platonem referant. Naſcitur Plato an. IV. Olymp. LXXXVIII. obiit octogenarius Olymp. CVIII. Cicero libro de ſenectute. *Plato*, inquit, *uno, & octogeſimo anno ſcribens, mortuus eſt.* Idem Seneca ſcribit epiſtola LVIII. Puer Dionyſium habuit in primis literarum rudimentis doctorem, cujus, & ipſe in eo meminit libro, qui Amatores, vel de Philoſophia. Ariſtonem Argivum in paleſtra adhibuit, in qua luctator exercitatiſſimus evaſit. Magnam operam Mu-

ſicæ

ſicæ ſcientiæ dedit, auditorque Diacontis Athenienſis fuit, atque Metelli Agrigentini, ut in libro de Muſica prodit Plutarchus. Quodque omnis generis concentuum gnarus planè fuerit idem demonſtrat Plutarchus loco citato in molitione animæ, quam in Timæo fabricat Plato. Picturæ quoque operam dedit, & poëſi ſummè eſt oblectatus; at qui ſibi doctores non aperiunt ſcriptores. Annos natus xx, Socrati viro doctrinæ fertiliſſimo adhæſit, cujus doctrinam & eloquentia ornavit, & rationibus armavit. Humanis eo exempto Cratyllo Heracliti diſcipulo, & Hermogeni, qui Parmenidis philoſophiam ſequebatur, operam dedit. L. Apulejus ait, Platonem antè Heracliti ſecta fuiſſe imbutum quàm ad Socratem accederet, in quo longè diſſentit à Diogene Laertio, qui poſt mortem Socratis ſcribit eum dediſſe operam Cratyllo Heraclitio. Cum eſſet annorum xxviii. Socraticis quibuſdam ſecum aſſumptis, quos diſcendi cupiditate detineri maxime noverat Plato, ad Euclidem nobiliſſimum ea tempeſtate Geometram Megarum ſe-

ceſſit,

ceſſit, cui cùm aliquandiu vacaſſet, alios placuit adire, audire, doctiſſimos viros. Ægiptum peragravit, ubi à Sacerdotibus ejus gentis Geometriæ multiplices numeros, cœleſtium obſervationum rationem percepit. Qua in peregrinatione comiter habuiſſe fertur Euripidem Athenienſem poëtam, & Eudoxum Cnidium Mathematicum, & medicum, qui verſibus de Aſtrologia ſcripſit, ſicut refert Suidas. Inter cæteras Platonis peregrinationes omnium hæc una celeberrima perhibetur. Nam in Ægiptum præcipuum ſacerdotem Sechnuphim Heliopolitanum, ut Conuphim Eudoxus adivit. Quintilianus lib pr. cap. XIX. *Plato non contentus diſciplinis, quas præſtare poterant Athenæ, Pythagoreorum, ad quos in Italiam navigaverat, Ægipti quoque ſacerdotes adiit, atque eorum arcana perdidicit.* Vide item Ciceronem lib. V. de Finibus, & Valerium Maximum lib. VIII. cap. VII. Cæſar apud Lucanum lib. X, ad Achorea ſacardotem Ægipti:

——— *Cecropium ſua ſacra Platonem.*
Majores docuere tui: quis dignior unquam.

Hoc

Hoc fuit auditu mundique capatior hoſpes?
emenſa Ægipto, indeque Aſtrologiæ peritiſſimo diſcedente ad Theodorum Cyrenaicum præclarum illius ævi mathematicum profectus eſt. Quibus omnibus velut undique conquiſitis mercibus inſtructus in Italiam tranſgreditur, ut ab Archyta Tarenti, à Timæo, & Arione, ſive, ut alij legunt, Aerione, & Cœto Locris Pythagoræ præceptis inſtitueretur. Nonnulli, & Philolaum, & Eurytum Tarentinum, & Echecratem addunt audiſſe, qui, & ipſi erant Pythagoræ ſacris initiati. Ad Indos quoque, & Magos intenderat animum, niſi eum tunc vetuiſſent Aſiatica bella. In Siciliam etiam aliquoties, & incendij Ætnæ cognoſcendi, & legum diſcendarum cauſa profectus eſt. *Tanta*, inquit Valerius loco cit. *vis, tanta copia Literarum undique colligenda erat, ut invicem per totum terrarum orbem diſpergi, dilatarique poſſet.* Reverſus Athenas Academiam ſectam à ruſculo ſuo, in quo commorari ſolebat, inſtituit, ibique dulciſſimo ſummæ eloquentiæ, & paris doctrinæ, alimenta auditoribus

ribus præbuit. Quo loci, & Iſocratis hoſpitio aliquando fruitus eſt. Quin, ſi audias Plutarchum in Hyperidis vita Oratoris è decem Græciæ, Platonem inibi Iſocrates audivit. Et tum fortè de poëticis diſſertationem eam habuerunt, cujus ex Praxiphane meminit libro 3. Laërtius; nempe Laërtij verba ſunt: *Hic igitur philoſophus* (ſcilicet Plato) *Iſocrate amico utebatur, & Praxiphanes deſcripſit diſſertationem de poëtis, inter Platonem, & Iſocratem habitam rure, cùm apud Platonem Iſocrates diverti ſſet.* Qui quidem Academiæ locus, quamvis à Curiæ curis, & fori ſtrepitu procul, non tamen ab amœnitate aberat loci; nam & platanis opacus, & arbuſculis aliis quæ umbræ cauſſa ſeruntur, conſitus erat. Hunc locum, ſeu mavis Academiam dicere, ad ſua uſque tempora duraſſe tradit non admodum antiquus auctor Suidas, Platonis ſectæ æmulis excultam, adauctamque, ut villico ex fructibus perceptis ad millenos nummos aureos, & eò ampliùs redderent quotannis Platonico ſodalitio alendo, ut ex diſcimus Aloyſio Lollino viro doctiſſimo lib. pr. epiſt. XXXII, quæ

quæ ad Nicolaum Contarenum Philoſophum. De Laudibus Platonis multi multa, Speuſippus, qui ſibi ex ſorore Nepos, de iis ad Amartyrum ſcripſit. Clearchus idem argumentum tractavit. Plura Beſſario, qui contra calumniatorem Platonis omnia ejus dicta, & facta ferè in miraculùm trahit. Hermodorus & Ariſtoxenus Platonis vitam ſcripſerunt. Quibus adde Zoſimum Alexdrandinum, Diogenem Laërtium, Guarinum Veronenſem, Marſilium Ficinum, & alios.

Nunc ad Platonis diſcipulos calamum convertamus. Alchindus eorum epitomen fecit. Sed periiſſe valdè addubito. Memoratur Antonio Poſſevino in Appar. ad Philpſophiam tract. 2. cap. xi. ſi extaret nobis magno uſui eſſet, & longa nos inquiſitione levaret. Referam, ſi non omnes ſaltem principes. Quis enim poſt tot ſæcula omnes dare, vel ſpondere, audebit? Primúmque Speuſippus Athenienſis Platonis ex ſorore nepos habeat ut par eſt locum; quippe qui primus à Platone Academiam, & rexit, & magiſterij munus obivit. Alter Xenocrates

nocrates Chalcedonius, Ariſtoteles Stagyrites, Philippus Opuntius, Heſtiæus Perinthius, Dion Syracuſanus, Amycles Heracleotes, Heraſtus, & Coriſcus Scepſij, Timolaus Gyzicenus, Timæus item Cyzicenus, ut Athenæo ſcribitur lib.xi. cap. xxiii. Hebion, vel, ut alij ſcribunt, Evæon Lampſacenus, Evagon item Lampſacenus Athenæo memoratur loco cit. Sed eundem cum priori eſſe valdè addubito. Python & Heraclides Ænij, Hippotales, & Callipus Athenienſes, Demetrius Amphipolites, Heraclides Ponticus, quem Plato in Siciliam proficiſcens ſcholæ ſuæ præfecit. Clearchus, qui quadriennium & Iſocrati Oratorij operam dedit. Hermodorus Siculus, Pamphilus Neoclidis F., Theophraſtus Lesbius, Hyperides Athenienſis & Demoſthenes Athenienſis, qui fortè audito Calliſtrato rhetore in concione populi deſtitit à Platone. & ſecutus eſt Calliſtratum, ut A. Gellius ſcribit lib.3. cap. xiii. Iſæus, Æſchines Athenienſis, Heracleodorus Platonis diſcupuli fuêre Plutarcho teſte de prioribus de altero, Demoſthene apud Beſſarionem lib. pr. con-

tra

tra calum. cap. 3. Chameleon, & Lycurgus, & Mneſiſtratus. Chæron Pellenæus, qui non Platone ſolùm uſus eſt magiſtro, verùm & Xenocrate. Euphratus, quem in Oreo Parmenio jugulavit, ut apud Athenæum loco cit. Cariſtius aſſerit. Theodectes Cilix, orator, qui laudavit virum Artemiſiæ Mauſolum unà cum claris eo tempore oratoribus, cujus itē Theodectes F. orator ſcripſit Encomium Alexandri Regis Epirotarum, & alia. Leo Byzantius ſophiſta nobilis, qui juvenis etiamnum Platonem audivit, ut Philoſtratus teſtatur lib. pr. ſophiſtarum; Suidas eſſe ait, qui inter Ariſtotelis diſcipulos reponant, quod Voſſio minimè placet lib. pr. de Hiſtor. Græcis cap. VIII. ejus ex Philoſtrato meminit Synerius. Milta Theſſalus unus ex conjuratis contra Dionyſium, vir divinationis peritus & ſtudiorum cum ſuperioribus, in Academia ſocius. Agathonem etiam auditorem Platonis fuiſſe, & ab eo valdè amatùm Plato ipſe ſuaviſſimo carmine oſtendit:

Suavia dans Agathoni, animam ipſe in labra tenebam:

Aegra

Ægra etenim properans tanquam abitura fuit.

Meminit Laërtius lib. 3. & A. Gellius lib. XIX. cap. XI, qui à Platone adoleſcente ſcriptum cenſet. Cœterùm, qui Pythagoricam ſectam maximè ſecutus eſt Agatho, propria germanáque ei inter Pythagoricos ſedes. Chio Platonis auditor Voſſio memoratur libro de Philoſophia cap. 3. §. 4. De quo, & illud refert, quod cùm ſui eum urgerent, ut ne longo tempore vellet in philoſophia diſcenda occupari, reſpondit: Minimùm ſibi decennio opus eſſe priùs quàm abſolvat. Nec deerant ex ſexu fœmineo mulieres, quæ Platonis ludum frequentarent. Laſthenia Mantinea vates, & Axiothea Phliaſia, quę Diçarcho auctore, virili utebantur amictu. Porro Platoni in Academia ſucceſſit

SPEVSIPPVS ATHENIENSIS

Platonis ut diximus, ex ſorore nepos. Aliqui volunt, ubi VIII Platonicæ præfuerit ſcholæ (eam cepit Olymp. CVIII, ut teſtatur lib. 3. Laërtius) Epicureæ ſectæ ma-

manum dediſſe. At hi profectò inſaniunt, cùm nondum ea ſecta vigeret. Siquidem VII. poſt Platonis mortem annos Laërtius Epicuri diem ſignat natalem. Vita itaque functo Platone Speuſippo adhæſère illius auditores, ac quarum ſupra meminimus mulieres, ac Heraclides Ponticus, ut Laërtius ait. Quamvis enim in Platone dicat Heraclidem Platonis diſcipulum fuiſſe, quæ eſt etiam Ciceronis ſententia pr. de divinatione: *Ponticus Heraclides, doctus vir, auditor, & diſcipulus Platonis:* attamen lib. v, ubi etiam vitam ejus deſcribit ait: *Heraclides Eutyphronis F. Heracleotes è Ponto, vir dives Athenas conceſſit. Vbi primum quidem Speuſippo ſe in diſciplinam dedit, Pythagoreorum auditor fuit, Platonémque imitari nitebatur. Poſtremò ut Sotion in ſucceſſionibus ait, Ariſtotelem audivit.* Quamvis iſta facilè conciliari poſſint, ſi dicamus, apud Platonem, & Speuſippum philoſophiæ tyrocinium feciſſe: Ariſtotelem verò eum perfeciſſe. Quare inter Ariſtotelis diſcipulos potiùs reponendus. Speuſippo adhuc viventi, ſed morbo membris ſolutis, ejus rogatu magiſ-

terij

terij munus ſumpſit

XENOCRATES CHALCEDONIVS

Platonis, ut prædixi, auditor, eique perfamiliaris, & charus, ac in Siciliam proficiſcentis itineris comes. Quem tamen & audiſſe Ariſtotelem aliqui colligunt ex Cicerone lib. pr. de natura Deorum dicente: *nec verò ejus* (ſcilicet Ariſtotelis) *diſcipulus Xenocrates in hoc genere prudentior*:Sed hi profectò falluntur: quamvis enim aliqui textus eam habeant lectionem, ut & excerpta quædam penes me,quæ Pariſiis prodierunt an 1556.vero tamen germanáque ea lectio eſt: *nec verò ejus condiſcipulus Xenocrates in hoc genere prudentior.* Quare vitiatus corruptuſque codex. Graviſſimum Philoſophorum appellat Xenocratem Cicero v. Tuſcul. *Quid igitur aut Critolaum prohibet, aut etiam Xenocratem illum graviſſimum philoſophorum, exaggerantem tantopere virtutem, & extenuantem cætera, & abjicientem, in virtute non beatam modo vitam, ſed etiam beatiſſimam ponere?* Tantæ fertur frugalitatis fuiſſe, *ut cum Legati*

Legati ab Alexandro, eodem loco cit. referente Cicerone, *quinquaginta ei talenta attuliſſent, quæ erat pecunia temporibus illis, Athenis præſertim, maxima: adduxit legatos ad cœnam in Academiam: iis appoſuit tantum quod ſatis eſſet, nullo apparatu. Cùm poſtridiè rogarent eum, cui numerari juberet: Quid! vos heſterna inquit, cœnula non intellexiſtis me pecunia non egere? Quos cùm triſtiores vidiſſet*, XXX. *minas accepit, ne aſpernari Regis liberalitatem videretur.* Meminit Plutarchus de fortuna Alexandri. Valerius Max. lib. 4. cap. 3. Diogenes Laërtius lib. 4. in Xenocrate, De Summa eius apud omnes ſua tempeſtate auctoritate legendus Plutarchus in vita Phocionis Athenienſis, qui ab ineunte ætate Platonis primùm, deinde Xenocratis in Academia fuit auditor. Qui cùm diſcendi bellicas artes, militaremque diſciplinam miro quodam teneretur ſtudio, meruit adoleſcens ſub Imp. Chabria. à cujus latere nunquam diſcedebat. Suſcepit Speuſippi ſcholam Xenocrates, magiſteriique munus obire cœpit an. 2. Olymp. CX; ac XXV. præfuit annos. De cuius

ac

ac Speuſippi philoſophia librum unum ſcripſit Ariſtoteles, vt ex Laërtio lib. v. in Ariſtot. habemus. Phocionis in Academia ſub diſciplina Xenocratis con diſcipulus fuit Cleon Byzantius vir in patria, & genere, & virtute facilè princeps. Xenocratem præterea decennio audiſſe, & Zenonem Cyttiæum, Timocrates prodit. Alius autem Xenocratis, item Chalcedonij antiqui admodum diſcipuli, & familiares Hecatæus Mileſius, & Menecrates Elaita, qui de civitatum Originibus ſcripſit, non hujus, ut aliqui credidêre. Clara ſunt Strabonis verba lib. XII. Geograph. *Imprimis autem laudat Hecatæi Mileſij, & Menecratis Elaitæ opinionem, qui familiariter uſi Xenocrate fuêre.* Siquidem Hecatæus vixit, ut infrà dicemus lib. v. cap. v. in Protagora, olymp. LXV. Quem quidem Xenocratem ſeniorem ſanguine cum diſcipulo Platonis conjunctum, ac eius concivem, ſatis oſtendunt Strabonis verba loco cit. apud Voſſium lib. 4. de Hiſtor. Græc. cap. 3. (Nam in exemplari noſtro Baſileenſi Io: Valder an. M. D. XXXIX. planè deſiderantur) ea autem

ſunt: (Hecatæum ſcilicet, & Menecratem non Xenocratis Platonis diſcipuli diſcipulos fuiſſe, ſed alius) *Antiqui admodum, & ſanguine conjuncti, & civis Xenocratis ejus, de quo dictum.* Porrò Xenocrati Platonis diſcipulo, & de quo in præſentiarum ſermo multum debet

POLEMO ATHENIENSIS

Diſcipulus, atque in Academiæ adminiſtratione ſucceſſor. Siquidem cùm initio male feriatus eſſet, mox à Xenocrate ad bonam frugem revocatus eſt. Quo Horatius alluſit lib. 2. ſerm. 3.

——— quæro, faciáſne quod olim.
Mutatus Polemo? ponas inſignia morbi,
Faſciolas, cubital, focalia, potus ut ille
Dicitur, ex collo furtim carpſiſſe coronas:
Poſtquam eſt impranſi corruptus voce Magiſtri.

Lege Valerium lib. VI. cap. XI. qui pluribus graviter, & eleganter Polemonis mutationem deſcribit. Cujus rei & meminit Cicero lib. 4. de fin. ac alij, ut

ut mittam Laërtium, atque Suidam, ubi de Polemone. Docuit Polemo Zenonem Cyttiæum, ut IV. de fin. Cicero: *Dabit hoc Zenoni Polemontiam magiſter eius & tota illa gens, & reliqui, qui virtutem omnibus rebus multò anteponentes, adjungunt ei tamen aliquid ſummo in bono finiendo.* Et Arceſilam, quos inter magna exorta eſt pugna, de qua in Academicis quæſtionibus Cicero plura. Euſebius de Præparatione Evangelica lib. XIV. cap. 2. D. Auguſtinus contra Academicos lib. III. cap. XVII. Inſuper Polemonis auditores fuêre

CRANTOR SOLENSIS, & CRATES THRIASIVS

Qui præceptori in Magiſterij munere obeundo ſucceſſêre. Crantor philoſophus fuit illuſtris, & nobilis. Mentionem ejus Cicero habet cùm in Academicis quæſtionibus, tum in Tuſculanis diſputationibus. Crates autem dictus eſt Thrias, ſive Thriaſius, à pago Thria inter Athenas & Eleuſina. Claruit ſub Alexandro, & Ptolomæo. Porrò Crati,

Crantori, Polemoni, atque Xenocrati placuit ſcientiam diſſimulare, nullique rei inter diſputandum pugnaciter adhærere. Legendus D. Auguſtinus lib. III. contra Academicos cap. XVII, atque ex eo Henricus Gandavenſis in ſumma art. pr. q. 2. n. XVIII. & hi quidem veteris Academiæ noviſſimi. Auditores Theodorus cognomento Atheos, à quo ſecta Theodorica, de qua infrà in Cyrenaica, & Bion Boryſthenites, qui Cynicum elegit inſtitutum, ſumpto pallio, & pera, quæ erant teſſeræ, quibus Cynici ſe ab aliis ſectarum alumnis diſcernebant, ut ex A. Gellio habemus lib. IX. cap. II. & lib. XIII. cap. VIII. Hornio lib. VII. Hiſtor. Philoſoph. cap. XIII. Deinde Theodoria; demum Theophraſtum audivit

CAPVT V.
DE
MAGISTERIO ARCESILÆ PITANEI.

ARceſilas (ſive, ut aliis ſcribitur, Archeſilas) (Arceſilaus lib. 4. Laërtio ac Straboni lib. pr. & lib. XIII.) ſunior Autolycum mathematicum civem ſuum audivit & Hipponicum Geometram; at natali ſolo relicto Sardis primùm, deinde Athenas ſe contulit, ubi Xanthi muſici Athenienſis, poſtea Theopraſti fuit auditor: tandem Polemonem adiit, & Crantorem, ut Strabo docet lib. XIII. *E Pitana eſt Arceſilaus Academicus, qui cum Zenone apud Polemonem didicit.* Mediæ Academiæ Arceſilas perhibetur inventor, quæ de omnibus dubitando, rerum certitudinem ſuſtulit, & vel ignorantiam, vel incertitudinem invexit. Cicero 2. Acad. quæſt. *cùm jam philoſophorum diſciplinæ graviſſimè conſtitiſſent, tum exortus eſt, ut in optima Republica T. Gracchus, qui ocium per-*

turbaret, ſic Arceſilas, qui conſtitutam philoſophiam everteret, & in eorum auctoritate deliteſceret, qui negaſſent quicquam ſciri, aut percipi poſſe. Atque hac de cauſſa Lactantius lib.3.divin. Inſtit. cap. VI. Arceſilam ignorantiæ magiſtrum appellat. An autem ejuſmodi Philoſophia rectè dici poſſit conſtituere ſectam, necne? Quæ Arceſilæ motiva, ut in hanc pedibus abiret ſententiam, cùm fuerit auditor Crantoris, & Cratis, ac Polemonis, qui veteris Academiæ alumni, quæ Platonica, quæque decreta quædam habebat, & ratas, ac definitas ſententias, à quibus diſcedere nefas planè erat, pluribus in libris *De percipienda virtute ad mentem Platonis* aperio. Interim Lactantij Firmiani ſunt maximè verba notanda, quæ lib. 3. cap. 4. divin. Inſtit. *Nam de auctore (* Arceſila *) duo philoſophiæ genera eſſe cœperunt. Vnum illud vetus, quod ſcientiam ſibi vendicat.* Alterum *novum repugnans, quod diſtrahit eam.* Ex quibus planè verbis colligitur, Arceſilam certam de veritate habuiſſe ſententiam, quamvis illam in apertum proferre noluerit. Quod non obſcurè docet S. Au-

S. Auguſtinus lib. 2. contra Academ. cap. x. & lib. III. cap. XVII. Henricus Gandavenſis in ſumma art. pr. q. 2. n. XVIII. Quare cùm Arceſilas videret Zenonem ſibi ſub diſciplina Polemonis condiſcipulum ſola ſenſibilia in mundo ponere, atque in eis ſinceram veritatem reperiri omnino aſſereret; novum hoc in Academia Arceſilas dogma induxit, negans contra Zenonem, cœteroſque Stoicos quicquam ſciri poſſe. Qua quidem in re Arceſilas maximè Lactantio probatur lib. III. divin. Inſtit. cap. VI. *Rectèque vidit Arceſilas, arrogantes, vel potiùs ſtultos eſſe, qui putant ſcientiam veritatis,* hoc eſt, notitiam ſinceram, *conjectura*, hoc eſt, ex ſenſibilibus, ſenſuumque miniſterio, *poſſe comprehendi.* Cœterùm quia non diſtinxit Arceſilas notitiam, qua percipitur id, quod eſt verum in re, ſive per ſenſum, ſive per intellectum, à notitia, qua ſcitur veritas ipſius rei. Neque item diſtinxit notitiam ſinceram à phantaſtica, hinc factum eſt, ut poſteriores Academici Lacydes Cyrenæus, Telecles, & Evander Phocenſes, atque Hegeſinus Pergamenus verba poſitionis

illius tenentes, mentem autem ignorantes, omnem ſcientiam, veritatiſque perceptionem è medio ſuſtulerint. Sed hactenus de his. Nunc ejus recenſeamus auditores. Eum audierunt Eudemus, & Megalophanes Megalopolitani maximi omnium ejus ævi philoſophorum, qui pubeſcentem Philopœmenem erudiêre. Ecdelus Megalopolitanus ex Arcádia vir in Philoſophia illuſtris, & in rebus gerendis maximè exercitatus, præceptorique familiaris & Panaretus, ut Athenæus refert lib. XII. cap. XXIX. Obiit Arceſilas Apollodoro in Chronicis teſte, circa Olymp. CXX. Cujus item à puero auditor, atque ſucceſſor

LACYDES CYRENEVS

Cognomento Oeconomus, qui novam Laërtio Academiam inveniſſe dicitur; cùm tamen Carneadi id tribuant Cicero, Clemens Alexandrinus, Sextus Empiricus, & alij. Incomprehenſibilitatis Arceſilanæ fuit Lacydes patronus, cujus qua evaſerit ratione lepidè narratur Numenio, & exinde Guilielmo Cantero

ro lib. VI. novarum lectionum cap. XVIII. Auditorē habuit Euphorionem Polymnati F. Chalcidenſem Suidæ, Cherenneſiotam verò Hepheſtioni, qui, & Pritanide in philoſophia uſus eſt præceptore, ut in poëtica Archebulo Theræo. Hic autem Euphorion alius omnino eſt ab Euphorione R. R. Scriptore, & alioqui poëta tragicus nobilis poëtæ Aeſchili F. fuit. Arceſilæ, & Lacydi in Academiam venientibus comes fuit Chryſippus Solenſis ad philoſophandum, ut apud Laërtium lib. VII. in Chryſippo, auctor eſt Sation. Academiæ ſcholam tenuit Lacydes annos XXVI. quam habebat in hortis, quamque juvenibus

TELECLI, & EVANDRO
PHOCENCIBVS,

ex omni memoria, Laërtio referente, tradidit unus; Quorum præter nomen cœtera indenſiſſima nocte penitùs latent. Quibus ſuffectus

HEGESINVS PERGAMENVS

Evandri auditor, eius meminit Cicero Acad. quæſt. lib. IV. cujus ut Teleclis, atque Evandri, præter nomen, cætera item planè ignorantur.

Capvt VI.

De MAGISTERIO CARNEADIS Cyrenæi.

Carneades Novæ fuit, ſive tertiæ Academiæ princeps, & auctor, ut ſcribit D. Auguſtinus lib. III. contra Acad. cap. XVIII. Is Arceſilæ incompræhenſibilitatem minimè probavit, ſed veteris Academiæ, cujus jam conditor Plato, ſplendorem reſtituere ſummopere ſtuduit. Euſebius lib. XIV. Præparat. Evang. cap. 2. *Carneades Academici factus princeps gymnaſij tertiam conſtituit Academiam. Is Arceſilai morem in diſputando ſecutus eſt; nam ad utramque partem ita dicebat*

cebat, ut omnia, quæ aliis afferebantur, refutaret: incomprahenſibilitatem tamen Arceſilai non probavit. Non enim eſſe poſsibile dicebat, hominem ita in omnibus ſe continere ut nihil affirmet: eſſéque non parvam differentiam inter incertum, & incomprahenſibile. Et cuncta quidem incomprahenſibilia eſſe, ſed non incerta. Vide cætera præſertim quæ ex Numenio idem affert. Ex quibus plane conſtat, Carneadem quidem ſuperficie tenus (ſi verba ſpectemus) Arceſilam ſecutum; verùm ſi rem ipſam attendamus, probè de veritate ſententiam Platonis tenuiſſe, ſed ad illam occultandam morem Arceſilæ ſecutum; paulatim tamen ab Arceſilæ reticentia digrediens Carneades, veram, germanamque Platonis ſententiam, atque doctrinam explicuit; Quamvis enim principio Arceſilam ſit planè ſecutus, ab eo tamen porrò deſcivit; ut enim ex Euſebio colligitur *incomprehenſibilitatem Arceſilæ neutiquam probavit, quod poſſibile non ſit hominem ita ſe in omnibus continere, ut nihil affirmet.* Sunt enim multa ut benè Lactantius lib. III, divin. Inſtit. cap. V. *quæ natura ipſa nos ſcire, & uſus fre-*

quens, & vita neceſſitas cogit. Itaque pereundum eſt, niſi ſcias quæ ad vitam ſunt utilia, ut appetas; quæ periculoſa, ut fugias, & vites. Nam Solis, & Lunæ varij curſus, & meatus Siderum, & ratio temporum deprahenſa eſt, & natura corporũ à medicis, herbarumque vires, & ab Agricolis natura terrarum, nec non imbrium futurarum, & tempeſtatum ſigna colecta ſunt. Nulla denique ars eſt, quæ non ſcientia conſtet. Sed non hic plura de his, de quibus commodùm alibi fusè diſſerimus. Cum Critolao peripatetico, & Diogene Stoico ad S.P. R. ivit Carneades Legatus; Cujus meminit Legationis Cicero lib. 2 de Oratore. Plinius Lib. VII. cap. XXX. Plutarrchus in vita Catonis Cenſorij. A. Gellius lib. VII. cap. XIV. & lib. XVII. cap. XXI, atque iiſdem planè verbis bonorum auctorum Laverna Macrobius lib. pr. Saturnal. cap. V. Quæ legatio incidit in annum V. C. IↃXCVIII, regnante in Ægipto Ptolomæo Philometore. Tanta autem floruit eloquentia Carneades, tanta memoria, ac diſſerendi facultate viguit, vt & proverbio locum fecerit, & ad eum audiendum Romana juventus

jùventus undique confluerer, & omnia, quorũ cauſſa miſſus fuerat, impetraret. Nec minoribus viribus contra juſtitiam dicitur diſſeruiſſe, quàm pridie pro juſtitia dixerat. Inter cœteros, qui eum Romæ audierunt Q. Mutius Scævola adoleſcens memoratur, cuius plurima paſſim apud Ciceronem mentio præſertim in libris de Oratore, in quorum etiam primò elogium ejus contexit. Cato ſenior, qui Cenſorius, Græcis infeſtior, Carneadis eloquentiam adeo pertimuit, vt acceptis à Senatu reſponſis quamprimùm in Græciam remitti, ac renavigare curaverit, vt ex diſcimus Plinio lib. III. cap. XXX. natur. hiſtor. Exemplum diſſertationis Carneadis contra juſtitiam habes apud Lactantium lib. V. divin. Inſtit. cap. XVII. A Diogene Stoico, qui Babylonius, dialecticam didicit Carneades, vt lib. 2. Academicarum quæſtionum Cicero ſcribit: *cùm aliquid ejuſmodi inciderat, ſic ludere Carneades ſolebat: ſi rectè concluſit, taceo: ſin vitiosè, minam Diogenes reddat. Ab eo enim Stoico dialecticam didicerat: hæc autem merces erat Dialecticorum.*

rum. Cùmque inter literarum curas Carneades octoginta novem ætatis annos, nunquam interrupto ſtudio, trangeſiſſet, Olymp. CLXII, humanis exceſſit. Auditores ſibi fuêre Athenis quidem Q. Metellus L. F. clariſſimus vir, cùm eſſet adoleſcens Carneade jam ſene. Zeno Epicureus, ut ex pr. Acad. quæſt. Ciceronis habetur: *Carneades autem nullius, philoſophiæ partis ignarus, & ut cognoſci ex iis qui illum audierant, maximéque ex Epicureo Zenone, qui cùm ab eo plurimùm diſſentiret, unum tamen præter cæteros admirabatur, incredibili quadam fuit facultate.* Mentor Bithynus, & Metrodorus Athenienſis pictor idem, atq; philoſophus; cujus meminit Plinius lib. xxxv. cap. xi. *Athenis eodem tempore erat Metrodorus pictor idêmque philoſophus, magnæ in vtraque ſcientiæ auctoritatis.* Cujus auditor L. Craſſus Orator P. Craſſi Iuris peritiſſimi FR. & L. Paulli filij, ut loco cit. Plinius his verbis ſignificat: *Itaque cùm L. Paulus devicto Perſeo petiſſet ab Athenienſibus, ut quàm probatiſſimum philoſophum mitterent ſibi ad erudiendos liberos, itemque pictorem ad triumphum excolendum*

ſolendum, Athenienſes Metrodorum elegerunt, profecti eundem in utroque deſiderio præſtantiſſimum, quod edicto quoque Paulus judicavit. Carneadis præterea auditor fuit Metrodorus Stratonicenſis Laërtio lib. x. in Epicuro, Lampſacenus Straboni lib. XIII. Geograph. qui cùm eſſet Epicuro familiaris, ac ejus auditor, ab eo tamen ad Carneadem defecit, Metrodori Stratonicei meminit Cicero lib. 2. Acad. quaſt. *Benè autem noſſe Carneadem Stratoniceus Methrodorus putabatur.* Aeſchines Mileſius æqualis Ciceronis, vt ex pr. de Oratore habemus. Sed Carneadeis diſcipulis longe omnibus præſtitit

CLITOMACHVS CARTHAGINENSIS.

Lingua patria dictus Aſdrubal. Is anno ætatis ſuæ quadrageſimo profectus Athenas Carneadem audivit. Quantum in eo diligentiæ, & induſtriæ fuerit declarat multitudo librorum ingenij non minus in hoc, quam in Carneade eloquentiæ, in Melanthio Rhodio ſuavitatis

tis, ut Cicero inquit lib. 2. Acad. quæſt. In tribus ſectis fuit maximè verſatus Academica, Peripateti a, & Stoica. Cum Carneade præceptore vſque ad ſenectutem vixit, floruitque Olymp. CXLII, cujus an. IV. obiit magiſter ejus Carneades, ut in Chronicis Apollodorus tradit, atque ex eo Laërtius in Carneadis vita. Ciceronis loco nuperrimè citato his verbis celebratur, *homo acutus, ut Pœnus, & valdè ſtudioſus, ac diligens.* Et in hunc Academicorum apud Laërtium deſivit ſeries. Ex Cicerone Clitomacho ſufficiendus videtur Æſchines Mileſius Carneadis diſcipulus, cujus modò meminimus; inquit enim pr. de Oratore ad Q. Fratrem. *Audivi enim ſummos homines, cum quæſtor ex Macedonia veniſſem Athenas, florente Academia, ut temporibus illis ferebatur, quod eam Carneades, & Clitomachus, & Æſchines obtinebant.* Siquidem Carneadi ſucceſſit Clitomachus, atque adeo Clitomacho ſucceſſiſſet Aeſchines. At quia idem Cicero alibi Clitomacho ſucceſſorem facit Philonem, in quam ſententiam, & Euſebius pedibus planè vadit lib. XIV. Præparat.

Præparat.Evang. cap.11,& apud eundem Numenius, hanc, & ipſe viam tutò me inire poſſe confido. Aeſtus autem, qui ex Ciceronis verbis oriri videtur, facillimè diluitur,ſi dicas: Clitomachum, & Æſchinem eodẽ prorſus temporis tractu præfuiſſe Academiæ, vt pluries cùm in Academia, tum in aliis ſectis infrà diſpicies; Imo ſi Euſebium audias lib. xiv. Præparat. Evang. cap.2. ipſemet

PHILO

Clitomachi auditor, ut 2. Acad. quæſt. Cicero ſcribit, & in Academia præceptori ſucceſſor, cum Charmida Magiſterij munus obivit. Euſebij verba ſunt: *Poſt Arceſilaum autem Carneades, atque Clitomachus priorum philoſophia contempta,tertiam inſtituerunt Academiam;Quartam Philon,& Charmidas:*Cùm tamen Cicero loco cit. dicat: *Antiochi magiſter Philo,magnus vir, ut tu exiſtimas ipſe, negarat in libris (quod coram etiam ex ipſo audiebamus) duas Academias eſſe, errorémque eorum, qui ita putarunt, coarguit.* Quem, & lib.pr. Acad. quæſt. magnum item virum vocaverat;& quod eo ſuperſtite patrocinium Academiæ non defue-

rit. Ejus meminit apud Euſebium loco cit. Numenius philoſophus Pythagoricus dicens : *Philo cùm Clitomacho ſucceſſiſſet nimia lætitia confuſus, quaſi gratiam habens, quæ illi viſa fuerunt confirmabat, amplificabâtque, & adverſus Stoicos cunctis viribus armabatur; ſed temporis ſpatio veritate rerum convicta incomprehenſibilitatis opinio fuit.* Audivit Philo & Clitarchum Alexandri Comitem , cujus , & geſta conſcripſit. Eius Quintilianus lib. x. cap. 1. in hiſtoria ingenium probavit, fidem culpavit. Philonis diſcipulum ſe fuiſſe Cicero in Bruto teſtatur, eíque totum ſe tradidiſſe, cùm Romæ profiteretur , quò confugerat cum Athenienſium optimatibus Mithridatico bello. Quamvis enim Cicero , & Antiochum Aſcalonitam Philonis auditorem , ac ſucceſſorem Athenis audierit, vti & Poſidonium Apameenſem ſtoicum , & Cratyppum Mitilenum peripateticum, Philonianæ tamen Academiæ fuit ſectator , ut eius paſſim monumenta ſatis declarant, noſque ex ipſis alibi fusè: alios pręterea adhibuit Cicero præceptores Diodorum stoicum dialecticum,

cum, Plotium Gallum, M. Antonium Gniſonem, & Pompilium Andronicum, grammaticos: Demetrium Syrum, Aeſchilum Cnidium, Xenoclem Adramytenum, Dionyſium Magneſium, Menippum Stratonicenſem, quem Plutarchus Carem vocat, vel Carium; nempe quia Stratonice Cariæ urbs eſt, Plinio teſte lib. v. cap. xxix, & Strabone lib. xiv, ubi Menippum hunc Catocem ait vocatum. Appollonium Alabandenſem cognomento Molonem Rhodium, qui oratores: Roſcium comicum, & Aeſopum Tragoedum, vocales magiſtros: Q. Mucium Scœvolam Iuriſconſultorum eloquentiſſimum, à quo in jure civili fuit inſtructus. Inſuper cum T. Pomponio Attico Cicero Phædrum Athenienſem, atque Zenonem Sydonium audivit, qui Athenis præerant Hortis, ut ipſemet ſcribit de finibus lib. pr. In Aſtrologia C. Sulpicium, ut in libro de ſenectute habemus. Republiqua in Monarchiam mutata publicis ceſſit, ludumque philoſophiæ in villas ſuas aperuit Ariſtotelis æmulatione, in quo maximas è media philoſophia quæſtiones

nes copioſè ornatèque ſenili prudentia tractabat, ut ex primo Tuſculanarum Diſputationum liquido conſtat. Quibus in locis nata ſunt illa philoſophiæ Romanæ monumenta, Academicæ, & Tuſculanæ quæſtiones, & diſputationes: Quib⁹ quæ aliàs ſparſim, & diffuſè ſcriptis ſuis inſeruerat, velut in compendium redegit, *Itaque herclè* (cum auctore Dialogi dicam) *in libris Ciceronis deprehendere licet, non Geometriæ, non Muſicæ, non Grammaticæ, non denique ullius ingenuæ artis ei ſcientiam defuiſſe. Ille Dialecticæ ſubtilitatem, ille moralis partis utilitatem, ille rerum motus, cauſſaſque cognovit.* Ludo aperto nobiliſſimos quoſdam dulciſſimo ſapientiæ ſuæ lacte enutrivit diſcipulos. Doceor ab Alexandro lib pr. Genialium cap. XXIII Hircium, & Panſam, quos Tranquillus in libello de Grammaticis, & claris Rhetoribus, eos eſſe cenſet, quorum meminit, ſuppreſſo nomine, M. Anneus Seneca in præfatione libri pr. Declamat. dicens: potuiſſe ſe viva voce declamantem audire Ciceronem in atrio illo, in quo duos illos grandes prætextatos

tos ſolere ſecum declamare, Tullius ait: qui tamen refellitur verbis ejuſdem Ciceronis lib. I X. epiſt. X V I. dicentis: eos prætextatos fuiſſe Hircium, & Dolabellam, cœnandi magiſtros, declamandi diſcipulos. En ejus in teſtimonium verba loco citato: *Hirtium, & Dolabellam dicendi diſcipulos habeo, cœnandi magiſtros. Puto te audiſſe, illos apud me declamare, apud illos me cœnare.* De quorum morte in Octavio Suetonius cap. X I. Caſſium, Dolabellam, Cœlium; quorum meminit Quintilianus lib. X I I. cap. ultimo. Q. Voluſium. L. Munacium Plancum, qui Lugdunum, & Rauricam condidit, quæ vulgo nunc Baſilea. De eo ita D. Hieronymus in Chronico Euſebiano ad annum quartum Olymp. C L X X X V I I I. *Munacius Plancus Ciceronis diſcipulus, Orator habetur inſignis, qui cùm Galliam Comatam regeret Lugdunuum condidit.* Craſſum P. Craſſi Iuriſperitiſſimi F. fratrem M. Craſſi ditiſſimi Romanorum, qui Cæſaris Legatus fuit in bello Gallico, & Cæſarianis tandem partibus adoleſcens occubuit. Et L. Flacum patriæ defenſorem in conjuratione Catilinæ. Multa ſunt & præclara cla-

rorum virorum de Cicerone teſtimonia, ſed ne ubi minimè opus eſt, longior ſim, afferre hîc parco. Videat, qui maximè cupit, cœteros inter Politianum lib.pr. Miſcellan. cap. pr. & Georgium Hornium lib.IV. Hiſtor. Philoſoph. cap.V. Valeant Ciceromaſtigos Didymus, Argyropylus, L. Cæſtius, Sidonius, & ſi qui alij ſunt, qui tam micanti literarum aſtro tenebras offundere moliuntur. Tandem Cicero cum Cæſari adverſus M Antonium faviſſet, contrucidari ab hoc, ſexageſinum quartum agens annum, vel tertium, & ſexaginta, ut Livius, & Aufidius Baſſus computant, miſere jubetur, anno ante Chriſtum natum quadrageſimo. V.C. IↃ CCXI. De cujus morte, ſiquis variorum videre ſententias deſiderat, adeat Senecam lib. pr. Suaſoriarum. Eius vitam ſcripſit Tyro Tullius tribus voluminibus, teſte Pædiano, ejus libertus, atque Plutarchus. Philonis alter fuit auditor

ANTIOCHVS ASGALONITA

Veteris Academiæ novator atque Patronus,

nus. De eo D. Auguſtinus lib. 3. contra Acad. cap. XVIII. *Deinde ultimò Antiochus Philonis auditor, jam veluti aperire, cedentibus hoſtibus, portas coeperat, & ad Platonis auctoritatem, legeſque Academiam revocare.* Et paullò poſt. *Igitur Antiochus, auditis Philone, & Mneſarcho ſtoico, in Academiam veterem, quaſi vacuam defenſoribus, & quaſi nullo hoſte ſecurâ velut adjutor, & civis irrepſerat.* Et idē planè multo antè tradiderat Cicero lib. V. de finibus. *Antiquorū ſententiam Antiochus noſter mihi videtur perſequi diligentiſſimè, quam eandem Ariſtotelis fuiſſe, ac Polemonis docet.* Quare contra Academicos ſcientiam negantes acriter diſputabat, nec ſe tenuit, quin & contra ſuum doctorem Philonem librum etiam ederet, qui *Solus* inſcribitur, ex quo ſtoicam rationem in plurimis eum aſſeruiſſe dicebant, ignorantes myſterium de occultatione ſcientiæ veterum Academicorum, quod & poſteriores minimè advertentes incompræhenſibilitatis evaſêre cultores. Euſebius quidem lib. XIV. cap. II. idem prorſus cenſuit dicens: *Philoni Antiochus in Academia ſucceſſit, qui* Stoicum *Mneſar-*

Mneſarchum ſecutus Philoni præceptori non paucis contradixit, & aliena dogmata in Academiam induxit. Et Cicero clariùs lib. 2. Acad. quæſt. *Excogitavit aliquid Antiochus ; Eadem dicit , quæ ſtoici : pœnituit eum illa ſenſiſſe. Cur non ſe tranſtulit ad alios , & maximè ad Stoicos ? Eorum enim erat propria illa defenſio. Quid Mneſarchi pœnitebat , quid Dardani? qui erant Athenis principes Stoicorum.* Quod & alibi non repetit ſemel. Sed dimittamus hæc, habent enim ſatis longam diſputationem, quæ huic loco minùs accommoda : ſcripſit Antiochus acutiſſimè de Academia , ut eſt in Ciceronis Lucullo, paullumque, anteceſſit Strabonem , ut Strabo ipſe teſtatur lib. XVI. Geograph. dicens : *Qui paullò ante nos fuit.* Strabo autem provectæ admodum ætatis ſcribebat anno quarto Imperij Tiberij Cæſaris , ut ex ejus colligitur verbis, quæ in calce libri VI, & lib. item XIII propè finem.

Antiocho auditores fuêre in primis M. Terentius Varro , qui & L. Aelium Stylonem audivit, ut A. Gellius tradit lib. XVI. cap. VIII, qui tamen Stoicam

ſecutus

ſecutus eſt ſectam, ut ſuo loco dicemus. L. Luculus,qui præceptorem, & quæſtor habuit in Aſiam, & poſt aliquos annos Impetator. Et hic ille Lucullus eſt, qui in Academicis quæſtionibus, perſonam agit eorum, qui rerum ſcientiam admittunt, utpotè Antiochi veveteris Academiæ ſectatoris nobiliſſimus alumnus, cui Cicero pro nova ſatisfacit, cùm Philonem, ut prædiximus, ſectaretur, qui tamen & audivit Antiochum,ut ex libro qui Brutus inſcribitur, clariſſimè conſtat.*Sex menſes cum Anthiocho veteris Academiæ nobiliſſimo & prudentiſſimo philoſopho fui, ſtudiúmque philoſophiæ nunquam intermiſſum, à prima adoleſcentia cultum, & ſemper auctum, hoc rurſus ſummo auctore, & doctore, renovavi.* Præterea Antiochi diſcipulus fuit Heraclitus Tyrius,qui & Clitomachum multos annos, & Philonem audierat;homo in illa philoſophia, quæ tunc prope dimiſſa, Antiocho doctore, revocabatur, probatus, & nobilis. Et M.Brutus, qui omnes ferè Græcos audivit philoſophos, vndè nullius diſciplinæ vel expers, vel erat ignarus: Platonica tamen

maximè coluit novamque, ac mediam Academiam linquens, veterem fovit,ut Cicero de claris Oratoribus teſtatur. Quamobrem Anthiochum ingenti admiratione obſervavit, ejuſque FR. Ariſtum Athenis præſtanti virtute virum, & audivit, & amicitia ſibi junxit, ac vivendi comitem fecit. Quem Cicero de Claris Oratoribus veteris Academiæ hæredem vocat;hoſpitem,ac familiarem ſuum: *Nam quid te exercuit Pammenes*(Brutum Cicero alloquitur) *vir longè eloquentiſſimus Græciæ? Quid illa vetus Academia, atque ejus hæres Ariſtus hoſpes, & familiaris meus?* Athenis Præterea audivit Theomneſtum Academicum, & Cratippum peripateticum; familiaris illi Arthemidorus Cnidius Theopompi Cnidij F. philoſophus, & Græcæ eloquentiæ Magiſter, quem ſua ætate, hoc eſt, Auguſti, & Tiberij temporibus, vixiſſe Strabo ait lib.x iv. Strato, qui in facultate rhetoricæ plurimùm valuit, & Publius Volumnius philoſophus, qu cum eo militavit. In Grammatica verò Laberio Hieræ adhæſit, qui, & docuit Caſſium Bruto familiarem. At diſſimi-

le utrique ingenium, diſparqúe in philoſophia ſtudii ratio. Brutus enim ex Academia. Caſſius ex Hortis ut infrà ſuo loco.

Cap. VII.

DE MAGISTERIO AMMONII ALEXANDRINI

A temporibus quibus M. Brutus florebat, ſive ab ejus næce, uſque ad Ammonij Majoris Alexandriui cognomento Saccas, Academia plane interciſa occurrit, cultoribus deſtituta, ſquallor ubique, & altum ſilentium. Quod, ut liquet, annos circiter duravit CCLXX, ſiquidem ante Chriſti adventum an. XXVIII, M. Bru us Mutinæ occiſus eſt. Quam demum jacentem excitavit Ammonius eam iuſtituens Academiam, quæ Aegiptiæ ſortita eſt nomen. Vir fuit Ammonius divinus, diviniruſque edoctus, ut Hieracles teſtatur Alexandrinus ſecta Platonicus, qui ſcholas Alexandriæ inſtituit, auditorémque Theoſebium habuit, qui multa de Epicteti ſcholis

locutus. Platonis & Ariſtotelis probè tenuit Ammonius ſententias, quos, & demonſtravit concordes, liberamque à contentionibus philoſophiam auditoribus tradidit. Florentem Onuphrius Panvinius in Chronico Eccleſiaſtico agnoſcit ſub annũ Chriſtianum CCXLII. Succinit Voſſius de natura, ac conſtitutione Logicæ cap.x.§. VIII. Auditores doctiſſimos,& acutiſſimos habuit viros. Origenem Alexãdrinum Leonidis F.qui martyrium ſubijt anno decimo Severi Imperatoris,qui illuſtriſſimus inter vixit Platonicosadytàque Platonicæ doctrinę ſic penetravit,ut myſteria eſſét nulla,quę non ille intimè, & optimè calleret. Iugiter ſibi præ manibus Plato, Numenius Cronius, Apollophanes, Longinus,Moderatus,Nicomachus:Quibus,qui maximè inter Pythagoricos præſtant,miſcuit auctores. Nec ijs contentus Chæremonis ſtoici, & Annei Cornuti libros, ex quibus allegoricum eorum, quæ apud Græcos ſunt myſteriorum enarrandi morem imbibit, ac ſcripturis aptavit Iudaicis. Condiſcipulos Origenis ſub diſciplina Plotini Porphyrium, Amelium

lium & Aquilinum Eunapius facit in Porphyrij vita. Photius in Bibliotheca cap CXI, Clementis Alexandrini diſcipuli Pantæni auditorem Origenem agnoſcit. Porphyrius in vita Plotini Ammonij, condiſcipulum Eremnij, atque Plotini. Quibus unà inter ſe cum Origene decretum ne Ammonij dogmata vulgarentur. Sed apertè Porphyrius Ammonij Origenem diſcipulum fuiſſe apud Nicephorum Calliſti ait cap XIII, lib. V. Hiſtor. Eccleſiaſticæ. Neque audiendus eſt Sozomenus in Tripartita hiſtoria lib. VIII, Epiphanio ſcholaſtico interprete, qui ait Ammonium Origenis, Didymique fuiſſe diſcipulum. Locus enim ille non omnino ſincerus videtur. Alexander Totus Brixianus vir ſui ævi apprimè doctus, literiſque Græcis, & Hebraicis ſummè excultus multa loco illi ab Epiphanio Latinate donato, deeſſe cenſet, deque Ammonio in Græco volumine ſecus haberi; Non enim, inquit ille, fuit diſcipulus Origenis, ſed ejus librorum, & Didymi, ac aliorum enarrator Eccleſiaſticorum. Cui Nicephorus Calliſti lib. XI. cap. XXXVII.

Eccleſiaſt. Hiſtor. aſtipulatur dicens; *Ammonius valdè etiam literarum & eruditionis ſtudioſus fuit, ita ut Origenis, & Didymi, & Evagrij ſcripta diligenter, & feliciter legeret.* Ego in hac re Porphyriũ omnino audiendũ cenſeo, qui Origenem ſcribit ſe admodum adoleſcentulũ cognoviſſe, magna tum gloria virum. Cùmq; Porphyrius Plotini fuerit auditor, qui Ammonij; cùm ex ipſo, tum ex alijs, qui Ammonium primum, deinde Plotinum audierunt, ſibiqúe condiſcipuli fuêre, veririſſimile omnino fit, exploratam Porphyrium hauſiſſe, habuiſſe ſententiam, Origenem Ammonij, non contrà, auditorem fuiſſe. Ammonij item auditor Plutarchus fuit Athenienſis Neſtorij F. ut ex Eunapio habemus in proëmio Vitarum Philoſophorum, ac Sophiſtarum; cum enim dixiſſet: Sotionem, Porphyrium, ac Philoſtratum Lemnium Philoſophorum ac Sophiſtarum non quidem vitas ſcripſiſſe, ſed potiùs in tranſcurſu perſtrinxiſſe, ac delibaſſe, poſtremò ſubjungit: *nemo tamen accurratè de philoſophis perſcripſit in quibus fuerunt Ammonius Aegyptius divini*

illius

illius Plutarchi præceptor, ipſéque adeo Plutarchus, quem totius philoſophiæ Venerem, ac Lyram dixerim: Et paulò poſt; *Itaque magnus ille, & divinus vir Plutarchus, cùm ſuam, tum præceptoris ſui vitam ſparſim libris inſeruit, non prateriita ſilentio Ammonij morte, quem Athenis vitam finiviſſe ſcribit.* Plutarchus enim ille natione Bœotus, patria Chæronenſis, qui ſub Cærare Claudio natus fuit, ſub Nerone Ammonio uſus eſt præceptore, cùm Veſpaſianus imperare cœpit annorum errt XVII, vel XVIII, multò, ut liquet, claruit antè, ut alius Ammonij ab hoc diſcipulus fuerit, nempe illius, qui Neronis, & Veſpaſiani temporibus vixit cujus, & meminit Voſſius lib. de ſectis, cap. XXI. § XVIII. Quanvis lib. 2. de Hiſtor. Græcis cap. X, quas in Ammonij diſcipulum Plutarchum Athenienſem, ſparſerat Eunapius laudes, ac elogia, ut cùm ab eo dicitur, *divinus*, item *Totius philoſophiæ Venus ac Lyra*, Plutarcho Chæronenſi attribuat, quaſi Ammoni majoris fuerit auditor, cum multò; ut patet, floruerit antè, nimirum, quamlibet doctiſſimi; homines ſumus memo-

ria labiles. Porrò Origenes quamplures docuit clariſſimos viros, de quibus Euſebius lib. VI cap. III, IV, V Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ. Nicephorus Calliſti lib. V. per multa capita legendi. Cœterùm quia magis eos divina Ieſu Chriſti ſacramēta docebat, quàm Platonis humana commenta, non eſt, cur ijs recenſendis hic tempus teramus. Vnum habe Tryphonem Platonicum, atque Stoicum, cujus meminit in vita Plotini auditor ejus Porphyrius, quippe qui, & ſcholas habuerit, & publicè docuerit. Enimverò Tryphonem audivit Abron Phrix, vel ſultem ex Rhodo oriundus grammaticus, qui Romæ rhetorica docuit. Sed hactenus de Origene. Ad Ammonium iterum redeo, quem inter cœteros, & audivit Olympius Alexandrinus, qui cùm Magiſterij munus poſt Ammonium obire impendio flagraret, Plotinóque illud delatum iri ſuboleret, aſtu, & qua maximè potuit fraude, tentavit Pl otinum apud omnes deſpectum reddere, quod cùm ad votum minimè ſuccederet ſumma ejus vitæ integritate, ac virtutum omnium ſplendore contrà nitentibus

tentibus, maleficijs eum invaſit. Sed enim fruſtra cuncta, vota quæque irrita cecidêre; nam

PLOTINVS E' LYCOPOLI

Ægiptius Ammonio præceptori ſucceſſit. Platonicorum omnium facilè princeps. Quis enim Platonem ipſum ſub Plotini perſona loquentem non audit? Nimirum D. Auguſtinus lib. III. contra Acad. cap. XVIII. Plotinum illum eſſe ait, *in quo Platonis os illud, quod in Philoſophia purgatiſſimum, & lucidiſſimum dimotis nubibus erroris, maximè revixit.* Et Macrobius principem philoſophiæ fecit cum Platone Plotinum. Nec Platonica ſolùm, in numerato Plotino, verùm, ut monumenta ejus volventi haud conſtat obſcurè, latentia Pythagoricorum, Peripateticorum, atque Stoicorum dogmata paſſim occurrunt. Adde nihil eum latuiſſe quod vel ad Geometriam, vel ad Arithmeticam, Machinativam, Perſpectivam, Muſicamque pertineret. In ſcholis ipſi legebantur commentaria Severi, Chronij, Nume-

nij, Caij, Attici philoſophorum Platonicorum: Peripateticorum, Aſpaſij Alexandri, Adraſti quæcunque ſorte commentaria incidebant. Tanta porrò cura ſcripſit, ac diligentia de Platonicæ, ut & Pythagoricæ philoſophiæ principiis, ut omnium ante ſe, Numenij, Cronij, Moderati, atque Thaſylli induſtriam planè vicerit, ac ſuperarit. Eam Plotinus inſtituit Academiam, quæ Romana, ſive, Italica dicta eſt in qua nobiliſſimos habuit. ille auditores. Meminit D. Auguſtinus epiſtolâ LVI ad Dioſcurum: *Plotini ſchola Romæ floruit, habuítque condiſcipulos multos acutiſſimos & ſolertiſſimos viros.* Amelium Tuſcum, qui & Gentilianus, qui annos præceptorem audivit XXIV. Paulinum Scythopolitem, quem Amelius Miccallum vocabat, quod diſciplinarum, & eruditionum eſſet ſummè inſtructus. Euſtochium Alexandrinum, qui ſolus morienti adfuit Plotino. Zothicum Criticum, atque poëtam. Zethum, qui ex Arabia genus ducebat, quique uxorem duxerat F. Theodoxij quondam Ammonij familiaris. Caſtricium, qui cogno-

cognominabatur Phirmus, virum omnium eius ævi bonarum artium ſtudioſiſſimum, ſummumque Plotini, & Amelii cultorem. Serapionem Alexandrinum, qui cùm eſſet rhetor philoſophicis diſputationibus operam poſteà navavit. His adde Senatores Marcellum Orôtium, & Sabinillum, qui conſul ſub Gallieno anno ſalutis CCLXVI. ac ex eodem Senatu Rogatianum, qui auctore Porphyrio uſque adeo ab hac vita animum ſegregavit, ut & bonorum ſuorum curam neglexerit, & ſervos omnes expulerit, reſpueritque dignitates. Aderant & mulieres. Gemina, cuius lares Plotinus incolebat, & Gemina itidem F. Amphiclia Ariſtonis F. Iamblichi F. uxor. Sed & marium adhuc ſuperſunt Potamon, quem à puero Plotinus eduxit, inſtruxit. Thaumantius quidam. Et qui præ cœteris maximè emicuit

MALCHVS TYRIVS

Cognomento Porphyrius, natione Phoenix, patria Tyrius, ſive, ut magis

placet Baronio tomo. 2. Annal Eccleſ. natione Iudæus; Batareæ, quæ eſt in Iudea civitas, natus, qui tamen & audivit Amelium, & antè puer Dionyſium Longinum Caſſium virum doctiſſimum, quem in ejus vita Eunapius ſpirantem quandam bibliothecam, & vivum Muſæum appellat, quo item uſus eſt præceptore Zenobia Palmyrenorum Regina, græcis, latiniſque literis ornatiſſima; quem porrò & à conſiliis habuit. Porphyrius Plotino amiciſſimus familiariſque fuit. Tanti eum Plotinus faciebat, ut palàm eum poëtam, philoſophum, & ſaccerdotem appellaret: contra Porphyrius Plotinum principe ſemper coluit studio, intimè dilexit, ac omni eum proſecutus eſt veneratione: vnde & vitam ejus fuſè deſcripſit, quæ habetur in principio operum Plotini, ejuſque meminit Eunapius dicens: *Vitam illius Porphyrius ita explicavit, ut nemo copioſius dicere, aut plura adferre poſſit.* E Græcia Romam Porphyrius venit unà cum Antonio Rhodio Romano ſub Plotini diſciplina anno x. Gallieni Imperatoris, quo Plotinus;

tinus fermè jam decem novem, & quinquaginta annos agebat. Naſcitur quippe Plotinus anno XIII Severi Imp. obijt autem ſecundo Claudij Imp. anno jam peracto. Eam conſecutus eſt Porphyrius in Academia excellentiam, ut inter Platonicos philoſophus appelletur. Multa, & præclara de eo Lucas Holſtenius, & multò antè in ejus vita Eunapius. Floruit Aureliani ævo uſque ad Tacitum, & Probum Imperatores, imò uſque ad Diocletianum. Pietate Chriſtiana fuit primò imbutus, à qua poſteà flagitioſè deſcivit, magnàque rabie conditis voluminibus in eam invectus eſt. Sed abundè reſponſum ab Euſebio, Apollinare Laodiceo, & Methodio. Porphyrij pluriès mentionem habet D. Auguſtinus lib. x. de civit. Dei, quo loci, & ejus inconſtantiam, atque impietatem deteſtatur. De ejus verò in Religionem Chriſtianam vaticinio vide Petrum Crinitum de honeſta diſciplina lib. XXIII, cap. x. Porphyrium audierunt Theodorus Aſinæus, & Androcleus, & Chryſaorius patricius Romanus, cujus rogatu Iſagoge edidit

Porphyrius

Porphyrius, id eſt, introductionem in Dialecticam Ariſtotelis; erat enim Porphyrius doctrina non tam Platonicus quàm Ariſtotelicus; quamvis ſi intimè, & optimè ejus ſcripta expenderis magis Platonis, quàm Ariſtotelis cognoſcatur ſtudioſus. Porphyrij item auditor

IAMBLICVS CHALCIDENSIS

Ex Syria Cœle, clariſſimi nominis philoſophus, & genere planè illuſtris. Magno Conſtantino imperante Platonis dogmata explicavit, tantumque in Academicorum myſterijs profecit, ut inter Academicos cognomento divinus, & magnus ſit appellatus ſacerdos. Vitam inter cœtera ſcripſit Alypij, qui eadem vivebat ætate, vir in Dialecticis exercitatiſſimus, patria Alexandrinus, de quo plura Eunapius in Iamblichi vita quem (ſcilicet Iamblichum) Eunapius admirandum appellat, déque eo mira quædam enarrat, & alia dicit ſe ſilentio præterire, quippe quæ ipſimet fidei abſona, monſtri ſimilia videantur. Docuit Iamblichus priſcianum Lydum, atque Julia-

Iulianum Imperatorem cognomento Apoſtatam, qui etſi puer Macedonio philoſopho, Euſebio Nicomedienſi, Maximo Epheſio, atque Chryſanthio Sardiano Aedeſij diſcipulis, aliiſque operam dederit, iiſque ſemper honorem habuerit, præ cœteris tamen Iamblichum coluit, ut Iuliani ad eum, tres, quæ extant epiſtolæ, teſtes. Præterea Iamblichi auditor fuit & myſtes Dexippus Herennius Atheniencis dux bello egregius de quo pluria congerit Voſſius lib. 11 de Hiſtoricis Græcis cap. XVI. Sopater Apamienſis, ſive potiùs Alexandrinus, qui Platonicorum ſui ævi fuit ſanè quàm præclarus, inque dicendo, & ſcribendo eloquentiæ ſummæ. Tanti ejus Fl. Conſtantinus Magnus feciſſe traditur, ut eum ſibi conſiliarum delegerit: at calumniam paſſus inions ſecuri percutitur, ut in Aedeſio Eunapius. Meminitque lib. 3 epiſtolarum doctiſſimus Aloyſius Lollinus. Cædis autem ejus architectus fuit & machinator Ablavius prætorij præfectus, quod à Sopatro claritate ſuperaretur, ſiquidem ad dexteram Imperatoris publicè acſeſſor.

ſeſſor conſidebat. Iamblichum inſuper audivit Euſtathius Cappadox, vir optimus, quique experientia teſte oſtendit, quid in dicendi facultate valeret E Græcia Theodorus & Euphraſius virtute excellenti viri, alijque permulti undecunque gentium ad eum confluebant, ad hauriendum animi cultum, inter quos.

ÆDESIVS CAPPADOX.

Præceptori maximè familiaris fuit. Siquidem Eunapio in ejus vita auctore, Iamblichi ſcholam, & in contubernio docendi munus ſuſcepit. Generis nobilitate inter ſuos Aedeſius fuit facilè princeps, ſed cenſu exiguo. Præceptore Iamblicho non multò fuit inferior, ſi inſtinctum, afflatumque divinum, qui Iamblico peculiaris, excipias; floruitque Fl. Conſtantino Imperante. Relicta Cappadocia Aedeſius Aſiámque ingreſſus, Pergamum Miſiæ ſedem ſibi delegit, quò commeabant ad ipſum Græci finitimique fama ad Sydera uſque Aedeſium evehente. Quamobrem provinciam

vinciam ſuam, quam in patrio ſolo Cappadociæ habebat, Euſtathio tradidit condiſcipulo, ut eam curaret, nulla ſecum cognatione conjuncto, de cujus linguæ facundia, ut etiam modò innuimus, ejuſdem ad Regem Perſarum Saporem Conſtantini Imper. juſſu legatione, déque ejus cum Soſipatra conjugio, quæ præſtanti doctrina tanto marito præluxit, ut præ illa hujus gloria pene obſoleverit, legendus Eunapius, qui hæc abundè exequitur. Porrò Ædeſij diſcipulus fuit Chryſãthius Sardianus, cujus Eunapius, qui de vitis philoſophorum, ac ſophiſtarum libellum perſcripſit, ut ipſemet in Iamblichi vita teſtatur, ut et Proæreſij atque Sopolidis ſophiſtæ, Antoninus, qui tertius è tribus, quos omnino à Soſipatra ſuſtulit Euſtathius liberis. Is enim literarum ſtudia impendio fruens parentum ſuorum virtuti probe reſpondit, ſedémque apud Canobium Nili oſtium obtinuit, ſéque totum dedidit ijs, qui ibi loci inſtituebantur. Ad eum juventus ſanior, ac ſapientiæ ſtudio dedita, frequens commeabat, ſano adoleſcentibus,

tibus, qui ſacris operabantur, pleno, quos omnes Antoninus Platonica doctrina abundè & candidè implebat. Maximus Epheſius Aedeſij fuit auditor, qui Iuliano Imperatori delectus fuit magiſter ſolus cœteris omnibus à Conſtantio ſublatis, habuítque Maximus fratres germanos viros præclaros, Claudianum, qui Alexandriam commigravit, ibíque docuit, & Nymphidianum, qui Smyrnæ cum laude profeſſus eſt. Priſcus Theſprotius, ſive Moloſſus genere, memoria præſtantiſſima clarus, qui veterum opiniones omnes cognitas collegit, & in habuit ore. Ejus vitam Eunapius ſcribit, ut & Maximi de quo nuperrimè ſuprà. Quibus Aedeſij diſcipulis adde Euſebium Myndo Cariæ oppido oriundum, cujus præter nomem nihil nunc ſuppetit aliud.

Cap. VIII

Cap. VIII.

DE MAGISTERIO PLVTARCHI ATHENIENSIS.

Protuberans alter ex Arbore Platonica Ramus nunc nobis diſpiciendus. Et quidem ramuſculorum, ac foliorum pulchritudine ſpectabilis, fructuúmque ſuavitate, ac ſapore maximè dignus qui à nobis hic memoretur, celebretur. Stips illi, atque origo Athenienſis, Plutarchus Neſtorij F. quem Eunapius ut vidimus, ſummè commendat, magnum eum ac divinum virum appellans, totiuſque Philophiæ Venerem, ac Lyram. Ammonij Alexandrini cognomento Saccas diſcipulus. De quo enim alio poſſit Eunapius loqui Plutarcho, deque eo tam altè elogiis illi ſentire video nullus. Siquidem cœteri præ, duos iſtos Chæronenſem, & Athenienſem planè obſcuri. Adde tempora maximè, ut liquet, congruere. Duobus porro ſummè fuiſit, nedum adhuc vivens, verùm fato jam functus, diſcipulis

pulis, Plutarchus, clariſſimis viris, Proclo Lycio, atque Alexandrino Syriano, qui ingenij divinitate, doctrinarúmque ſplendore, præceptoris famam ad immortalitatis ſudum in omne ævum duraturam extulerunt. Negari quippe minimè poteſt, quin

SYRIANVS ALEXANDRINVS

ſummus fuerit inter Academicos doctor. Claruit ſub Conſtantino Imperatore juniore. Suidas ſcholæ Athenienſi præfuiſſe ſcribit ſub Iuliano principe, qui Imperij habenas cepit anno Gratiæ CCCLXII, V. C. 1114. eo magiſtro complures Platonicæ majeſtatis evaſêre cultores. Hermes Ægytpius, alter omnino ab eo, qui Triſmegiſtus, quique poſt Moſen inclaruit, cùm Studia philoſophiæ in Aegypto florere cœperunt. Quamvis alij velint Hermetem ter maximum non poſt emicuiſſe Moſen; ſed multò antè; ſiquidem dicunt, quod auditor Noachi fuerit, primò Pædagogus, deinde ſcriba Chuſi. De qua re, quia non eſt hic locus agendi, conſulat qui plura, Georgium Hornium lib. 2. Hiſtor.

Hiſtor. philoſoph. cap. VI. Hermias Alexandrinus pater Ammonij, atque Heliodori Syrianum item audivit, Domninus, vel Dominus Syrus genere Laodicæus, auctore Damaſcio Λαοδικεὺς Σύρος Dioxippi F. Hellanici diſcipulo. At longè omnibus præſtitit

PROCLVS LYCIVS

Qui & Plutarchum, ut dicebamùs, audivit, puérque ab Herone mathematicas hauſit. Suidas ait, audiſſe eum Olympiodorum Alexandrinum philoſophum peripateticum, qui claruit circa annum Chriſtianum CCCCLXXX. Tanto magiſtro, qui Proclus, auditores gloriantur, Pampretius genere Aegiptius, antè grammaticus, eloquentiſſimus, & doctiſſimus vir, qui Zenonis Imperatoris temporibus emicuit. Hierus Plutarchi F. quem philoſophantem ſub Proclo in domo Quirini ſe vidiſſe Damaſcius teſtatur. Ammonius Alexandrinus Hermiæ F. qui proinde dictus Hermeas ad differentiam alterius cognomento Saccas, cujus ſuprà egimus, & alius, qui fuit Plutarchi Boeotij,

patria

patria Chæronenſis magiſter, vixitqúe temporibus Neronis,& Veſpaſiani. Floruit Hermeas circa annum quingenteſimum, quo tempore claruit etiam Theo Progimnaſmatum ſcriptor, quin ipſemet, de quo loquimur, Proclus. Cum Proclo Ammonius audivit etiam Syrianum. Platonis autem diſciplinam ita complexus eſt Ammonius, ut Ariſtotelem ſejungeret minimè, quam juxta callebat, tenebat. Eapropter cùm magiſterij munere fungeretur alios Platonica, alios Ariſtotelica docebat. Teſtes Damaſcius Damaſcenus, ac Ioannes grammaticus cognomento Philopponus; illum enim Platonicis inſtituit myſterijs, hunc Ariſtotelicis informavit doctrinis, quapropter Philopponus præceptorem ſecutus in utraque ſecta plurimùm valuit; utrámque conciliare, permiſcere enixè studuit. Florẽtem Nicephorus Caliſti Philopponum facit temporibus Phocæ, qui imperare cœpit anno ſalutis 602. alij ſub Mauricio. Mea ſententia eſt Ioannem grammaticum, cui Simplicius in cõmentariis lib. VIII. phyſicorum contradicit, non

Phocæ,

Phocæ, ſed aut Iuſtiniani, aut etiam antè vixiſſe, ex his quæ Suidas tradit in dictione Damaſcius, conjici poteſt, ſub Iuſtiniano enim Damaſcius, ut ejus auditor Simplicius vixère. Duo autem Iuſtiniani fuerunt; prior imperare cœpit anno ſalutis 527 poſterior verò anno 684, de priore tamen intelligendum Suidam non levis ex præceptorum, & diſcipulorum ſucceſſione, quæ etiam apud ipſum ſæpè legitur, conjectura colligi poteſt Proculum item audivit Zenodotus philoſophus, de quo paulò pòſt. Heraiſcus Eubœus, & Aſclepiodotus olim eius magiſter, natione Alexandrinus, profeſſione muſicus, qui à Iacobo Medico, (cuius Damaſcius in vita Iſidori Gazæi ſtatuam Athenis ſe vidiſſe teſtatur,) medicinam hauſit. Qui quidem Iacobus Proclum Athenis ægrotum curavit. Proclo item magiſtro profecit

MARINVS NEAPOLITANVS

Qui etiam præceptori in ſchola ſuffectus, præceptorìſque vitam literis conſignavit

gnavit quam hodie etiam extare Voſſius docet lib. 2. de Hiſtor. Græcis cap. xxII. Genus illi è Neapoli in Paleſtina. De eo videnda, quæ refert Suidas. Auditores Agapius Athenienſis, qui cùm adeo artibus omnibus diſciplinìſque foret inſtructus, Quadrangulus in ſapientia meruit appellari. Damaſcius Damaſcenus, qui in Arithmeticis, & Geometricis à Marino quidem fuit inſtructus; cœterùm in rebus philoſophicis Zenodoto Athenis adhæſit, qui Marino ſucceſſor. In dicendi arte Theoni tres annos operam dedit. In Platonicis Ammoniũ Hermæam audivit: in Aſtrologicis Ptolomæum magnæ Aſtronomicorum ſyntaxios auctorem: Dialecticam ab Iſidoro Gazæo accepit qui in arte diſſerendi tunc temporis ſummus. Damaſcium audivit Simplicius, ut in commentariis phyſicis ipſemet ſcribit. Angelus Politianus in Lamia Simplicium prodit condiciſcipulum Philopponi ſub diſciplina Ammonii. Alii Simplicium Ioãne Grãmatico cognométo philoppono poſteriorẽ faciũt; quod & innuit Iulius Syrenius lib. IV. de Fato cap XXXI.

Marino

Marino

ZENODOTVS

ſucceſſit,qui Procli auditor;quique inter cœteros Procli auditores meruit ſolus deliciæ Procli vocari. Damaſcium docuit hic Damaſcenum philoſophum, ut diximus, & alios, quorum memoriam abſumpſit veſtutas. Porrò Marino

ISIDORVS GAZÆVS

Auditor ſucceſſit. Ad Ariſtotelis philoſophiam ſe primò converterat, at ubi bracteatas Platonis ſententias libavit, ſummo enixus eſt studio, ut in ejus oraculorum adyta penetraret. Suaſione Marini de ſucceſſione ac Magiſterio ſumpſit decretum, atque adeo ſucceſſor creatus. Cœterùm nomine magis quàm re, Platonicæ doctrinæ alumnum fuiſſe, atque magiſtrum Photius ait cap. CCXLII. Biblioth. Iſidori hujus Gazæj vitam couſcripſit Damaſcius Damaſcenus Syrus philoſophus stoicus. Atque in hunc Platonicorum, Academicorumque deſinit ſeries. Platonici

dicti ſunt veteris Academiæ alumni. Academici novæ. Hi à loco, ubi philoſophabantur. Illi à conditore ſic appellati. Qui lucem tenebris tribuebant dogmatáque tuebantur, quæ Platonica putarent, ij Platonici, non Academici; quales Speuſippus, Xenocrates, Polemon, & Crates. Academicorum nomen Arceſilæ primùm adhæſit, qui palam negabat quicquam eſſe, quod ſciri, aut percipi poſſet. Et novam hanc Academiam dixêre. Alij mediam, ut ſupradicebam: promiſcuè tamen hiſce nominibus utuntur Scriptores.

Caput IX.

Alios Platonicæ doſtrinæ alumnos enumero, qui maximè inſigniores, & quorum ſucceſſionis, ac Magiſterij ſedes planè ignoratur.

NVnc recenſendi ſunt nobis, & alij quamplures, & qui ſuperiores præceſſêre, & qui conſequuti, clariſſimi viri; ſive Platonicos eos, ſive Academicos

demicos appellare mavis, et ſi certa ſtatáque careant ſucceſſionis, & ſerie & ſede.

Aeſchines Neapolitanus Melanthij Rhodij diſcipulus, eidéque in delicijs habitus, philoſophus Academicus fuit. Meminit ejus lib. 2. in Æſchine Laërtius. Melanthij verò præceptoris Cicero lib. 2. Academ. quæſtionum.

C. *Aurelius Cotta*, qui in dialogo Ciceronis de natura Deorum, Academicorum partes tüetur, princeps ea tempeſtate inter Academicos, & idem eloquentiſſimus, qui tamen, ut etiam M. Piſo peripateticus, C Vellius Epicureus, L. Balbus stoicus, qui principes erant quatuor, quæ Ciceronis ævo maximè vigebant, & erant in honore, ſectarum, Academicæ, Peripateticæ Epicureæ, Stoicæ, ut ipſe lib. pr. de natura Deorum teſtatur, haud ſuperſtites erant, ſed deceſſerant jam, ut idem Cicero habet epiſt. XIX. lib. XII. ad Atticum.

Neſtor Tarſenſis præceptor Marcel ejus, qui à Virgilio celebratur lib. VI. Aneid. ex Octavia Auguſti ſorore F. p

loſophus Academicus fuit. Poſt Athenodorum Tarſenſem Sandonis F. qui Cæſaris fuit, præceptor, civitati præfuit, apud Duces & Cives maximo in honore, ut Strabo prodit lib. XIV, quem & ſua ætate ſcribit fuiſſe.

Thraſyllus Phliaſius, vel, ut alijs placet, Mendeſius, qui multarum artium ſcientiam profeſſus, poſtremò Platonicæ ſectæ totum ſe dedit, ac deinde Matheſi, qua præcipuè viguit apud Tiberium gratus. Conſule Tacitum lib. VI. Annalium. Thraſylli meminit etiam Iuvenalis ſat. VI, & ejus Scholiaſtes.

Philo Iudæus Alexandrinus, qui floruit Caligulæ, & Claudij temporibus, diſciplinis omnibus eruditus fuit, ſed Platonicæ, & Pythagoricæ adeo formam ardentiore studio eſt imitatus, ut omnibus ſuæ memoriæ, ætatiſque viris antecelluiſſe prædicetur. Tanta viguit in græco ſermone facundia, ut de illo dixerint Græci: *aut Philo Platonizat aut Plato Philonizat*, Ejus meminit D. Hieronymus, quem Iudęorum diſertiſſimum appellat. Platoniſque imitatorem ſummum & D. Auguſtinns lib. XII.

contra

contra Fauſtum Manichæum cap. xxxix.

Dionyſius Areopagita, qui negari non poteſt, quin gentilis philoſophus ſecta Platonicus fuerit, diſcipulus Apollophanis, præceptorque Athenodori Athenienſis; alij omnino ab eo, qui Auguſti præceptor, qui Tharſenſis, auctore loco citato Strabone.

Dion, qui Alexandria Romam venit Legatus unà cum alijs, qui ſupra centum, quorum ipſe princeps, & caput, ut idemet Strabo lib. XVII. contra Auletam Cleopatræ patrem. Secta Accademicus fuit.

Eleucadius, qui à S. Apollinare Ravennate Epiſcopo ad Chriſti fidem convertitur. Secta Platonicus erat. Hieronymus Rubeus lib. primo Hiſtor. Raven. ex hac vita migraſſe ait anno ſalutis CXII. Petrus Damianus ſermonem habuit in ejus die natali. Extat apud Surium tom. VII. die ii. Febr.

L. Apulejus Madauræ natus, Africæ civitate, philoſophus Platonicus fuit. Vixit coævus Phavorini Galli philoſophi Academici Dionis diſcipuli: A. Gellij, Dionyſij Mileſij Cornelij Fron-

tonis oratoris, Appiani Alexandrini, Herodis Attici, Phavorini, & Scopeliani auditoris, viri extemporanea dictione feliciſſimi, & Suetonij Tranquilli, ejuſque amiciſſimi Plinij Iunioris Novocomenſis, inciditque in tempora Trajani, & Adriani. Athenis philoſophiæ operam dedit. Magiſtrum ſuum lib. pr. metam. Vaſtium vocat. Carthagine profeſſus eſt, ubi & publicè ſtatua ei poſita fuit; cujus pluribus meminit lib. 3. Floridorum, gratiaſque egit præſertim Straboni Aemiliano viro Conſulari, qui in Carthaginenſium curia ſententiam dixit, ut ejuſmodi ſtatua ſibi poneretur, cujus omnes Carthaginenſes auctoritatem ſecuti ſunt. Quo quidem loci; & condiſcipulum ſuum fuiſſe Aemilianum Strabonem ſcribit. Magiæ deditus fuit, ejus cauſſa etiam accuſatus. Meminit ejus D. Auguſtinus tom. 2. Epiſt IV, & V, & LXXXIX. ſolvens quæſtionem VI, ut & de Civit. Dei lib. VII. cap. XVI.

Plutarchus natione *Bœotius*, patria Chæronenſis, Academicus fuit, ſtoicis, & Epicureis maximè iniquus. Sub Domitiano

mitiano inclareſcere cœpit, ſed imperante Nerva, & Trajano maximè fulſit. Vitam produxit uſque ad Antoninum Pium; ſub quo factus eſt Apollinis Pythij ſacerdos, ut ex libro ejus, *An ſeni ſit adminiſtranda Reſpublica,* habemus. Plutarchi elogia apud veteres multa, ſed illud Teodori Gazæ acumine, & fertilitate ingenij nemini ſecundi ſanè præclarum. Qui interrogatus quemnam auctorem, ſi cœteris omnibus carendum eſſet, reliquum fieri vellet, Plutarchum elegit. Lamprias Plutarchi F. tabulam compoſuit ſcriptorum Patris ſui de omni Græca & Romana Hiſtoria, ut ait Suidas, quam in Italia editam, refert Ioannes Rualdus libro de vita Plutarchi, cujus ipſe mentionem facit in vita Auſonij, & lib. pr. quæſt. Convivalium q. v. & VIII. Fuit & Lamprias ejus FR. meminit lib. 2. quæſt Convival. q. 2. lib. 4. q. 4. 5. & alibi.

Theodotus Sophiſta Philoſtrato memoratus, alius à Theodoto Chio præceptore in rhetoricis ultimi Ptolomæj, quoque conſultore profugus Pompejus interfectus eſt, philoſophus Platonicus

fuit. Floruit tempore Horodis Attici, qui ſub Adriano, & Antonino Pio magnum adeo nomen habuit inter ſophiſtas præfectus ſcholæ Athenienſium, cujus auditor, ſucceſſorque Eubulus, qui Plotini, & Porphyrij ſynchronos.

Taurus Berytius philoſophus Platonicus fuit. Ejus non ſemel meminit A. Gellius: & quidem lib. VI. cap X. ait *Philoſophus Taurus vir memoria noſtra in diſciplina Platonica celebratus*, Et alibi ejus familiarem fuiſſe teſtatur. Emicuit ſub Antonino Pio, ut ex Euſebio in Chronico habemus dicente: *Taurus Berythius Platonicæ ſectæ philoſophus clarus habetur anno Domini CXLVIII.*

Valentinus, qui non obtento Epiſcopatu, quem ambibat, hæreſim fabuloſam, & portentoſam in Cypro vulgavit, Platonicus fuit, vixitque eodem, qui ſuprà, imperante. Cum ante fidem Catholicam in Aegytpto, Aegiptius ipſe, & Romæ prædicaſſet, ingenio potens, & eloquio ita Euſebius in Chronico. Adverſus eum stylum trinxerunt & validé impugnarunt, Tertulianus, Irenæus, Ephiphanius,

Theodoretus

Theodoretus, & alij plures. Ejus diſcipulusfuit Iulius Caſſianus qui Encratitarum dogma eſt ſecutus, quod progunavit libro, quem inſcripſit *De Continentia, vel Caſtitate.* Vide Clementem Alxendrinum lib. 3. strom. ac Voſſium lib. 4. de Hiſtor. Græcis cap. XVII.

Iuſtinius è Neapoli Paleſtinæ urbe fideliſſimus noſtræ philoſophiæ ſectator, ac in Græca diſciplina eruditiſſimus, philoſophus Platonicus fuit ipſomet tibicine in Apologia ſecunda pro Chriſtianis ad Antoninum Pium. Cujus in fide diſcipulus

Tatianus Syrus ſecta, & ipſe Platonicus, qui Romæ docens infinita prope edidit volumina. Inter ea maximè inſignis, ac florentiſſimus habitus eſt liber, quem contra Gentes ſcripſit, & habetur tom. VIII. Biblioth. ſſ. PP. ſed Roma digreſſus, & in ſuperbiam elatus, in varios incidit errores, Valentini, Marcionis, & Saturnini hæreticorum. Contra eum ſcripſère Muſanus, Apollinaris Hieropolitanus, Clemens Alexandrinus, Origenes, & Rhodo quidam eius Romæ auditor.

Claudius

Claudius Galenus medicus *Pergamenus*, qui inter XII. ſubtiliſſima orbis ingenia, ſubtilitate ultimum, arte clariſſimum, meruit locum, ut cenſet Hieronymus Cardanus lib. XVI. ſubtilitatum, philoſophus ſecta Platonicus fuit. Effulſitque clarum iubar ſub Marco Aurelio Antonino philoſopho, item F. Commodo; ad hæc Helvidio Pertinace, Didio Iuliano, Clodio Albino, ac denique Severo.

Atticus qui ſub Antonino Vero magnum habuit in diſciplina Platonica nomen, ejuſque apud Platonicos autoritas magni ſemper ponderis fuit. Meminit Euſebius, qui anno Domini CLXXIX florentem facit: *Atticus Platonica ſecta philoſophus agnoſcitur.*

Maximus Tyrius Platonicæ philoſophiæ egregius aſſertor fuit, atque adeo inter nobiles hujus ſectæ alumnos maximè dignus, qui reponatur. Romæ vixit non ſub Antonino Pio, ut eum ponit Euſebius in Chronico, ſed ex Suida, ſub Commodo. Quod item ſenſit Coſmus Paccius in ejus vita ad Iulium 2. Pont. Max. & Rafaël Volaterranus in Anthro

Anthropologia lib. XVII.

Chalcidius in ſecta Platonica clariſſimus Philoſophus fuit. Commentaria ſcripſit in Timæum Platonis ad Oſium Cordubenſem Epiſcopum, qui Concilio præfuit Sardicenſi celebrato anno CCCXLVI.

Maximus Epirota, vel Byzantius, Platonicus fuit. Ingenio extitit vario, ac deſultorio. Primò fuit Chriſtianus, deinde deſertor; poſtremò ad ſanitatem redijt. Quamobrem à D. Gregorio Nazianzeno in ejus ſcriptis primò vituperatur, deinde laudatur. Floruit ſub Iuliano principe, cujus fuit præceptor.

Syneſius Cyrenenſis, qui tantum operis philoſophiæ navavit Platonicæ, ut ad ſummum ejus faſtigium planè evaſerit. Quare non ſolùm Græci omnes, verùm etiam Chriſtiani ſunt eum admirati: demum è philoſopho Platonico opera Theophili Alexandrini Epiſcopi noſtris initiatus myſterijs, Epiſcopus ordinatur. Syneſij æqualis fuit Heliodorus Aethiopicorum ſcriptor, Theodoſij enim temporibus, & F. ejus Arcadij

vixit. Inſerit ſe his clariſſimis viris, & mulier, & meritò quidem

Hypatia nomine, patria Alexandrina, Theonis Geometræ F. qui cõmentarios in Euclidem, & Ptolomæum edidit, uxor Iſidori philoſophi. Hæc enim eruditionis, ac doctrinæ fama tanta emicuit ſub Arcadio, ut ſupra philoſophos ejus temporis emineret, & in Platonicam ſcholam à Plotino venientem Alexandriæ ſuſciperet ipſa Magiſterium; atque omnes philoſophicas lectiones exponeret magna omnis generis diſciplina, concurrentibus undique diſcipulis. Interfecta tandem dicitur ob invidiam ab Alexandrinis. Vide Suidam, & Tripartitam hiſtoriam lib. XI cap. XIII. Nicephorum Calliſti lib. XIV. Eccleſiaſt. Hiſtoriæ. Nec ex Platonicorum albo expungendus

D. *Auguſtinus Hipponenſis*, qui auctore Proſpero Aquitanico in Chronico, ordinatus eſt Epiſcopus Olibrio & Probino Coſſ. An. Chr. CCCXCVII. vel CCCXCV. ſecundum Panvinium. Enim verò negari non poteſt D. Auguſtinum

Platonicæ

Platonicæ doctrinæ quam qui maximè addictum fuiſſe, unde & eam quàm proximè ad Chriſtianam veritatem in multis accedere dixit lib. VII, confeſſionum cap. IX., & lib. III. contra Academicos cap. XX. lib. de vera Religione cap. IV. Nimirum dicere auſim, quod eo Latinorum nullus Platonicam majeſtatem tum ſapientia cùm eloquentia exactiùs expreſſerit. Obiit circa annum ſalutis CCCCXXX. ſub Theodoſio Juniore, & Valentiniano 3. Quibus omnibus accedat

Theodatus Oſtrogotorum Rex, qui literis Græcis, Latiniſque liberaliter eruditus, ſectam amplexus eſt Platonicam, cui multam operam impendit, in eaque maximè claruit, ut Leonardus Aretinus teſtatur lib. pr. de bello Italico contra Gothos & Ioannes Lelandes.

Choſroës Perſarum Rex, quamquam brabarus, philoſophiam diſciplinaſque omnes græcorum ita tenebat, ut par ſummis philoſophis eſſet. Platonis, & Ariſtotelis philoſophiam optimè calluit; ſed Platonicis dogmatibus adeo ferunt imbutum,

imbutum, ut ne Timæus quidem, vel Phædon ipſe, vel Gorgias, vel dialogorum auctor alius quiſquam, ut Parmenides, illum prætererit. In Perſiam ad eum viſendum ſe contulêre, Damaſcius Syrus, Simpliciuſque è Cilicia, & Eleunamius Phrix, Priſcianuſque Lydus. Hermias præterea, & Diogenes ex Phoenicia, ac Iſidorus Gazæus, qui omnes Iuſtiniani temporibus omnium erant philoſophantium principes.

Michaël Pſellus Conſtantinopoli emicuit Conſtantino Duca, qui Iſaacio Commeno ſuffectus anno 1058. Bellarminus, & Poſſevinus aliter ſentiunt ſecuti Baronium, quos fuſè rejicit Gerardus Ioannes Voſſius lib. 2. Hiſtoricorum Græcorum cap. XXVI. Plurima Pſellus accuratè conſcripſit in Logicis, Muſicis, Geometricis, & Arithmeticis, & alia multa, quæ Voſſius recenſet loco citato.

Sed quouſque indictum te patiar nobiliſſime Platonicæ familiæ alumnum Gandavenſis Henrice? An tui forſan hic ſilentio involvenda memoria?

Obruerint citiùs ſcelerata oblivia ſolem

Quam

Quam tuus ex noſtro corde recedat honos.
Non enim me fugit, quanti ægrè tu ferres, ſi Platonis mihi percurrenti alumnos, tui, qui tantum pro eleboraſti Platone, ingrato ſilentio memoriam obruerim. Maximam, fateor, injuriam tibi, labemque præclariſſimo nomini inurerem tuo, Doctiſſime Henrice, quippe qui temporibus Lodovici ſanctiſſimi Regis ad Pariſienſe tunc temporis florentiſſimum evocatus Gymnaſium, illiuſque Sorbonicæ Academiæ nedum auditor, vel ſocius, ſed conſtitutus præfectus, Platonis doctrinam penè jam demortuam tu excitare cœpiſti, jugiter tu auditores hortari ad illam volvendam, perdiſcendam, illuſtrandam. Diem teriſſe putabas, ni quaque lectione, diſputatione aliquid ejus attuliſſes in medium, mira tua enodaſſes doctrina. Et verò Platonicæ miſerebaris calamitatis, doctor ſolemnis, quaſi divinans eandem tibi infortunij aleam ſubeundam. Fuiſti ſanè, & in Peripatetica Philoſophia apprimè doctus, ut doctiſſima tua (quæ invidi temporis dentibus ſuperfuêre) indicant ſcripta,

Tri-

Tritemiuſque teſtatur de ſcript. Eccleſiaſt. & quidem nobilem Ariſtotelicæ familiæ philoſophum, & docti elegantesque Conimbricenſes te prædicare non dubitant p. phyſ. cap. IX. q. 3. art. pr. At Platonem mihi magis coluiſſe videris, unde non abs re illud de te protulit Iacobus Mazzonius judicium de comp. Ariſtotelis & Platonis ſect. 2. *Henricus Gandavenſis inter omnes ſcholaſticos ſolus verè Platonici nomen meretur.* Hoc igitur qualecumque nominis tui accipe monumentum, quod noſtræ ſit gratudinis ſymbolum, (quippe qui Brixiæ adhuc adoleſcentes doctrinæ tuæ lacte inſtituti ſumus, prælectore Hieronymo Cavazuttio à Bardo, viro optimo, ac planè docto) tuarum virtutum teſtimonium exile.

Eluxêre poſtea ſæculo decimo quinto multa, ac præclara ingenia non ſolùm ex Academia, ſed ex Lyceo. Ex Academia quidem *Georgius Gemiſtus* non ſolùm hiſtoricus, ſed philoſophus, & mathematicus cognomento Pletho, patria Conſtantinopolitanus, quem quaſi Platonem alterum de myſterijs Platonicis diſſe-

differentem frequenter audivit, Coſmus Medices Florentiæ, & antè in Græcia *Beſſario Cardinalis Patriarcha Nicænus*, cujus ad illum plurimæ extant epiſtolæ, qui doctiſſimos viros ſemper aluit, & fovit, ut teſtes ſunt Theodorus Andronicus, Domitius Cattus Sipontinus, & alij, ſcripſitque contra Georgium Trapezuntinum peripateticum defenſionem Platonis, cujus doctrinam profitebatur. Gemiſtus verò librum ſcripſit de differentia inter Ariſtotelem, & Platonem. Quo quidem oſtendit principatum ſemper inter hos duos philoſophos obtinuiſſe Platonem, nunquam verò Ariſtotelem uſque ad tempora Averrois, qui circa ſeſquiſæculum præceſſit Albertum: cùm Aegidius Romanus quodlibeto nono dicat: ſe duos ejus filios vidiſſe in aula Frederici Aenobarbi. Is autem regnare cœpit anno 1152. ex Panvinio, imperavitque annos XXXVII. Quin ſi alios audias, qui florētem Averroëm faciunt circa annum CIↃCC, fuiſſent coævi. Albertus namque Magnus Coloniæ deceſſit annno 1280, ætatis 81. ſecundum Iovium in Muſæo; 87 ſecundum

ſecundum Antonium Flaminium, qui ejus vitam luculenter ſcripſit lib. 3 de Viris illuſt. Ord. Prædicatorum. Panvinius etiam in Chronico Eccleſiaſtico florentem ſignat cum ſancto Doctore Aquinate auditore anno 1262.

Porrò Gemiſtus in Italiam venit Byzantio à Mahomete 2. Turcarum Rege expugnato anno Chriſti M. CCCCLIII. unico Græciæ ſapientiæ domicilio, ac victricibus armis totam Græciam quatiente. Et unà cum Geniſto venit *Theodorus Gaza* patria Theſſalonicenſis, utroque eloquio clariſſimus, ac in philoſophiæ, & Medecinæ ſtudijs facilè illis temporibus princeps, cujus ſe auditores jactabant Demetrius Chalcōdylas Athenienſis, qui Mediolani magna nominis celebritate docuit, & Ioannes Venetus, qui fuit Cardinalis tit. S. Marci, & Bibliothecæ Vaticanæ præfectus. Demetrium Mediolani profitentem Nicolaus Leonicus Thomæus audivit, vir diſciplinæ Platonicæ, & Ariſtotelicæ planè eruditus, totiuſque antiquitatis, ac bonarum artium conſultiſſimus, ut ipſemet in epiſtolâ nuncupatoria Iano

Laſca-

Laſcaro de Animalium inceſſu planè fatetur. In Theodori Gazæ laudem elogium extat in Muſæo Ioviano. Prætetea in Italiam venit *Marcus Muſurus* Cretenſis, qui nactus tranquillum otium, græco carmime Platonis laudes decantavit; extat id poëma, & limine operum Platonis legitur, commendatione publica cum antiquis elegantia comparandum, judicio Pauli Iovij in Marci Muſuri elogio. Ejuſmodi tamen poëma non adhuc vidi, quamvis non unicum penes me Platonis exemplar. *Marcus Marullus Byzantius* eleganter doctus, & utraque lingua maximè eruditus. *Georgius Trapezuntius* philoſophus peripateticus, qui è Ponto Romam venit Eugenio Quartò ſedente, quique improbo labore circa diſciplinas verſabatur omnes, ac utriuſque Linguæ interpres eruditiſſimus. Eum ſenem Romæ puer docentem audivit Rafaël Volaterranus. *Ioannes Argyropylus* Byzantius, qui diu Florentiæ profeſſus quamplurimos docuit; inter eos Donatum Acciajolum. Quare literæ, quæ in Græcia perierunt, ingruentibus

gruentibus Barbaris, in Italiam ſe receperunt, atque adeo quicquid ejus eruditionis ſupererat tanquam ex magno naufragio, ad Italiæ littus primùm enatavit, inde toti Occidenti communicatum. Romam autem potiſſimùm venêre, ut in principe Italiæ vrbe, & literarum majeſtas, ſcientiarum cultores, magnificentiùs exciperentur, & haberentur. Quamobrem Romæ cum græca eruditione philoſophiam quoque ex ipſis fontibus inſtaurarunt. Primus autem Græcorum, qui Romæ philoſophiam præceperit, Argyropylus fuit, cujus, & Politianus lib. pr. Miſcell cap. pr. ſe auditorem fuiſſe ſcribit (Romæ autem, an Florentiæ, affirmare non auſim, quamvis quod Florentiæ magis inclinet animus) quem item cùm literarum Latinarum, tum ſapientiæ decretorum, diſciplinarumque, adeo cunctarum, quæ Cyclicæ à Martiano dicuntur, eruditiſſimum illis temporibus habitum, atque in diſputando accerrimum, ait, Nec defuerunt renaſcentibus literi Mœcenates, & magni nominis principes viri. Florentiæ quidem

Argy-

Argyropylus, eodem referente Politiano, apud Medicem Coſmum, & dein apud Coſmi F. Petrum, nepotemque adeo Laurentium, inſigni fuit, & auctoritate, & gratia, quibus etiam libros dicavit Ariſtotelis à ſe in Latinum converſos. Sed & ipſum vix adhuc quidem puberem Laurentium dialecticis imbuit, eáque philoſophiæ parte, qua de moribus præcipitur. Romæ vero Nicolaus v. qui non ſolùm dignitate ſummus, ſed liberalitate, in omnes quidem, ſed maximè in viros literis exultos; ſiquidem pecunia eos, curialibus officijs ac beneficijs mirificè juvit. Nunc præmijs eos ad publicas lectiones allexit, nunc ad aliquid de integro componendum invitavit, nunc ad vertendos Græcos in Latinam liguam ſcriptores, ita perpulit, ut literæ græcæ, & latinæ, quæ ſexcentis jam annis in ſitu, & ſquallore jacuerant, tunc demum exeruerint caput, & maximum conſecutæ ſint decus, atque ingentem ſplendorem. Nimirum Gerardus Io: Voſſius lib. 2 Hiſtor. Græc. cap 2. Nicolaum V. vocat magnum, imò primum literarum vindicem

dicem. Vnde his mihi tum Principibus, cùm viris doctis, Ovidij illud lib. 3. de Arte amandi aptari poſſe videtur.

Cura Ducum fuerant olim, Regúmque poëta
Præmiáque antiqui magna tulêre chori.
Sanctáque majeſtas, & erat venerabile nomẽ
Vatibus & largæ ſæpe dabantur opes.

& quod alibi dixit lib. 3. Eleg. veritate planè comprobatum

Ingenium quondam fuerat pretioſius auro.

Quamvis ut in alijs rebus omnibus, ſic in literarum cultu, diverſæ ſemper fuerint hominum ſententiæ, contraria ſæpe placita, unde appoſitè Perſius ſat. v.

Mille hominum ſpecies, & rerum diſcolor uſus
Velle ſuum cuique eſt, nec voto vivitur uno.

Namque reperti ſunt alij, & quidem magni nominis viri, qui nullum planè, vel literis cultum, vel literatis hominibus detulêre honorem, contulêre præmium. In quos optimè quadrat quod optimus ille modo nominatus dixit, poëta:

At nunc Barbaries grandis, habere nihil.

Theodorus quidem *Gaza* cùm Sixto Quar-

Quarto Librum Ariſtotelis De natura animalium nuncupaſſet, pulcrè auro, & holoſerico ornatum; Pontifex rogavit quanti ornatus conſtaret? Qui cùm quadraginta coronatos dixiſſet: tot ei reddi curavit, præterea nihil: cùm tamen vir ille in tanta vixerit paupertate, ut, niſi eum ad ſe Dux Ferrarienſis, vocaſſet, fame periturus eſſet. Quot in hac claſſe? Sed revertor diverticulo domum.

Marſilius Ficinus Florentinus, qui Coſmi Medices magnanimi Principis hortatu Platonicæ iterum philoſophiæ penè jacentis, & tenebris involutę (proh miſeram rerum humanarum conditionem) evolvendam, perluſtrandam, evehendam, latiniſque literis decorandam animum totum addixit. Quo quidem factum, ut mirantibus cunctis, plaudentibus omnibus, nedum Florentiæ, verum Italiæ toti veteris renovarit, auxerit Acdemiæ ſplendorem, ac dignitatem. Et ut Politianus in coronide Miſcellaneorum veram Eurydicem, hoc eſt, ampliſſimi judicij Platonicam ſetentiam ab inferis revocaverit.

Philippus

Philippus Valor Platonicorum ſtudioſiſſimus fuit. Pluribus eum Ficinus commendat quà in proœmio in libros Platonis ad Laurentium Medicem: *cum verò Marſilium Ficinum nomino, Philippum quoque Valorem Academicum noſtrum intellige pariter nominatum. Nam ſi Valor, atque Marſilius in Platone defendendo in te amando idem ſunt, procul dubio inter ſe quoque ſunt idem. Valorem tibi Laurenti ſingularis ſua virtus probat, Platonicus honor laudat, & incredibilis in te amor valdè commendat.* quà cap. XLI. compendij ſui convivium Platonis.

Ioannes Picus Mirandula omnibus fortunæ, corporis animique dotibus cumulatiſſimus, qui et ſi priús Ariſtoteleus, tandem Platonicus evaſit, haud oblitus ejus quod in hæc verba Simplicius ſcriptum reliquit: *Nemo profiteatur Ariſtotelem, qui Platonem ab Ariſtotele diſſociet, ut diverſa ſentientem*. cui autem poteſt conſentire Plato cum Ariſtotele, niſi ei, qui libros, & commentationes utriuſque probe cognoverit, & in numerato habeat? Quod idem planè Beſſario lib. VI. cap. IX. contra calumn. & apud

apud eum Albertus Magnus, & Hermolaus Barbarus in epiſtola, quæ eſt ad Ioannem Picum, & habetur inter Politianas lib. IX. nimirùm inter alias theſes, quas Ioannes Picus in celeberrimis illis C M expoſuit, hæc una fuit: *Nullum eſſe quæſitum naturale, aut divinum, in quo Ariſtoteles, & Plato ſenſu, & re non conveniant, licet verbis diſſentiant.* Quod an præſtare potuerit aliquando diſputatum eſt inter doctos, & adhuc lis ſub judice eſt. Eandem Pici theſim, & Paulus Scalichius de Lika Comes Hunnorum nullo negotio ſe demonſtraturum gloriabatur. Sed an dem[illegible]raverit, minimè conſtat. Sanè ni[illegible]m egiſſe Hornius ſcribit lib. VI. Hiſtor. Philoſoph. cap. XIII. Qui, & noſtra ætate Rafaëlem Goclenium edidiſſe Conciliatorem Philoſophicum, prodit, in quo variorum Philoſophorum pugnantes ſententias conciliare maximè ſtudet. Nec à ſuperiorum doctiſſimo cœtu, ac nobiliſſima Platonicorum corona ſegregandus *Petrus Bembus Venetus Cardinalis*, qui cùm in cœteris philoſophorum decretis tum in Academicis præcipuè tantos

habuit progreſſus, ita in reconditos diſciplinæ illius receſſus ſeſe penitus indidit, ut cum excellentibus in eo dogmate viris non immeritò comparari, certareq;ue poterit. Atque ejus patriæ ac ætatis

Ioannes Baduarius vir ingenio doctrinaque præſtans, qui Platonem veteriſque Academiæ aſſertores in primis admirabatur, extollebat, ac Laudabili quadam æmulatione nulli primas cedere contendebat. Atque hactenus de Platonis Magiſterio, deque iis, quorum nobis planè ævu[illegible] non fugit. Synopſim adjeceram eti[illegible]ertæ ætatis Platonicorum. In eo Alcinoi viri clariſſimi; Harpocrationis Argivi Suidę memorati, è quo Stobæum Ecclogas ſuas congeſiſſe Photius in Bibliotheca teſtatur, & aliorum, ut par, recolebatur memoria, demi, dabo, quando hæc ad guſtum.

LIBER

DE

MAGISTERIO

ANTIQVORVM

PHILOSOPHORVM

LIBER SECVNDVS.

CAPUT PRIMUM.

DE MAGISTERIO ARISTOTELIS A QVO PERIPATETICI SEQVACES.

ARISTOTELES ſummus in omni diſciplinarum genere vir, patria Stagyrites fuit, (eſt autem Stagyra oppidum in finibus Ma-

cedoniæ ad ſinum Strymonium) diviniq́ue Platonis auditor. Naſcitur anno primo Olympiadis nonageſimæ nonæ. Annum agebat XVII. cùm voce Pythiæ, ut philoſophiæ operam daret, monetur. Quare Athenas contendit, ubi cum Socrate tres annos conjunctiſſimè vixit. Vita eo functo Platonem adiit, quem annos XX. audivit, hoc eſt, uſque ad mortem ipſius, à quo ſapientiæ fundamenta in omne ævum duratura affatim hauſit. Quo quidem extincto Lyceum aperuit, aliamq́ue à præceptore inſtituit ſectam, quam ab actione deambulandi, cùm diſcipulos inſtitueret, Peripateticam nominavit. Cicero lib. pr. Acad. quæſt. *Qui erant cum Ariſtotele peripatetici dicti ſunt, quia diſputabant inambulantes in Lyceo.* Vide Laërtium lib. V. Heſychium illuſtrem, & A. Gellium lib. XX. cap. IV. Ammonius tamen Hermæas in Categoriis auctor eſt, Platonem ipſum docuiſſe ambulantem: atque ab hoc primo peripateticos poſt ejus exceſſum, Xenocratis auditores vocatos peripateticos ex Academia: Ariſtotelis autem peripateticos ex Ly-

ceo: tandem Xenocraticos nomine peripatetici omiſſo à loco ſolùm dictos Academicos: contrà Ariſtoteleos nomine loci præterito, ab actione ſolùm vocatos peripateticos. Quod autem Platonici inambulantes philoſopharentur, & inambulantionibus maximè delectarentur, clare ex lib. pr. Ciceronis de legibus habetur: *Ille*, (loquitur de Platone) *cum Crete Clinia, & cum Lacedæmonio Megillo, æſtivo quemadmodum deſcribit die, in cupreſſetis Gnoſſiorum, & ſpatiis ſylveſtribus crebrò inſiſtens, interdum acquieſcens, de inſtitutis Rerumpubl. ac de optimis legibus diſputat.* Qua quidem de re, ſiquis plura deſideret Nicolaum Leonicum Thomæum adeat in Dialogo, qui Peripateticus, ſive de nominum inventione, qui ex eodem Ammonio rem hanc totam ediſſerit, ac pluribus dilucidè explicat. Vir ſummi ſtudij Ariſtoteles fuit, incredibiliſque inventionis laude maximè fulſit, atque adeo tam multa conſcripſit, ut apud Laërtium videre eſt lib. v. Galenum in libro, *an ſanguis ſit in arteriis*, cap. VII, Plutarchum, Hermippum Smyrnæum,

Ioannem Philopponum cognomento Grammaticum in ejus vita, atque Veronenſem Guarinum, quæ ſi intimè, & optimè expenderis inexhauſti ingenij vim, divinitatem, ſubtilitatem, copiam vel invitus fateberis ſibi fuiſſe. Quamobrem minimè miror tantum laudis ei peperiſſe, quantum in mortalem ullum cadere poteſt. De ejus autem Bibliotheca legendus eſt Strabo lib. xv. Geographiæ. Adraſtus Aphrodiſienſis vetuſtiſſimus peripateticus librum ſcripſit de ordine librorum Ariſtotelis, ſed periit. Pachimeris catalogum librorum ejuſdem. Primus Ariſtoteles, diſperſa philoſophiæ membra in unum corpus, & ſyſtema collegit. Certam argumentandi, ac mentis utendæ formam præſcripſit in logicis ſuis. Ethicam à Socrate cœptam feliciter abſolvit: de phyſicis ita diſſeruit, ut poſt ſe omnes etiam ipſum Platonem, reliquerit. Nimirum incredibilis eſt in hanc philoſophiæ partem Ariſtotelis diligentia, ac inventionis copia, nihil enim eſt ab eo terra, mari, cœloque omiſſum, quod non ille accuratiſſime perveſtigarit, adierit, inſpexe-

pexerit, ac ingenij ſui monumentis non nobis tradiderit, aperuerit, ac explicaverit. Quantum quæſo ille univerſo literatorum orbi meritus eſt, quàm utiliter in perſcrutanda animalium hiſtoria, de qua quinquaginta ferè volumina ſcripſit? Legendus Plinius lib. VIII. natural. hiſtor. cap. XVI. A quo magnam partem mutuatus eſt earum rerum, quarum tam locupletem, & nobilem tenuit hiſtoriam, qui ẻ re ait: *Ariſtotelis diverſa tradit, vir quem in iis magna ſecuturus in parte præfandum reor: Alexandro magno Rege inflammato cupidine animalium naturas noſcendi, delegatáque hac commentatione Ariſtoteli, ſummo in omni ſcientia viro, aliquot millia hominum in totius Aſiæ Græciaque tractu parere juſſa, omnium quos venatus, aucupia, piſcatúſque alebant: quibúſque vivaria, armenta, alvearia, piſcinæ, aviaria in cura erant: nequid uſquam gentium ignoraretur ab eo: quos percontando, quinquaginta fermè volumina illa præclara de animalibus condidit.* Vide Quintilianum lib. XII. cap. XI. Athenæum lib. VIII. cap. VIII, & lib. IX. cap. XX, quo refert Ariſtotelem ob ea volumina præ-

mij ab Alexandro octingenta accepiſſe talenta. Quamobrem etſi divinarum rerum intelligentia à multis Platone habeatur inferior; in naturæ tamen ratione omnium calculis primas obtinuit Ariſtoteles, ut benè Conimbricenſes ſemper eruditi, ſemper elegantes in proëmio librorum phyſ. q. v. art. iv. *De diſtributione philoſophiæ apud Ariſtotelem*, advertunt. Quod porrò in cauſſa fuit, ut eum tam Platonici quàm Peripatetici dæmonium vocarint, videlicet quod res naturales orbi Lunæ ſubjectas, in quibus Dęmonum genus verſari ajebant, optimè norit, & accuratiſſimè tractarit. Lege Beſſarionem lib. pr. contra calumn. cap. III, & VII. Carpentarium in Alcinoum. C. Rhodiginum, lib. 2. Antiq. lect. cap. XXI. Multa ſunt in eum clariſſimorum virorum elogia, quæ lubens omitto. Nonnulla alibi retuli, alia indicavi lib. pr. Epicuri Expenſi. Cætera paſſim occurrunt vetera monumenta evolventi. Præſtat de tanto viro, ut ille de Carthagine, tacere, quam pauca dicere. Quis Herculem vituperet, aut minùs benè de eo ſentiat? D. Hieronymus

mus in cap. 3. Ionæ teſtatur: Quoſdam honoris ergo numiſmata ænea ſignaſſe cum ejus imagine, quorum in adverſa parte *naturæ miraculum*, eſſet inſcriptum. Floruit nobilitate diſcipulorũ, in quibus unus fuit Alexander Rex Macedonum cognomento Magnus, qui in hanc prodiit lucem Olymp. cv. Philippus pater, (A. Gellio referente lib. IX cap. III.) gaudere ſe dixit, non tam quod eum genuiſſet, quàm quod eo tempore eum naſci contigiſſet, quo poſſet ab Ariſtotele imbui optimis præceptis, inſtitutiſque philoſophiæ, A quo quidem eas virtutes, quibus orbi jugum impoſuit, hauſit: uti à Leonide Pædagogo vitia, quæ robuſtum quoque & jam maximum Regem, ſunt proſecuta. Tantum verò Magiſtro ſuo tribuebat Alexander, quàm parenti, cùm ab hoc vivendi, ab illo bene vivendi rationem accepiſſet. Alexandro condiſcipulus fuit Theodectes Cilix orator, qui & audivit Platonem, atque, ut intrà lib. v. cap III. videbimus, Iſocratem. Huic ſuos Ariſtoteles de Rhetorica libros dicavit. Nicomachus Ariſtotelis

F. medicus, qui in patris præceptoriſque de phyſico auditu libros commentarios ſcripſit. Calliſthenes Olynthius, qui Ariſtotelis non diſcipulus modò, ſed etiam conſobrinus, lib. v. in Theophraſto Laërtius; unus ex comitibus & ipſe Alexandri fuit, de cujus etiam geſtibus hiſtoriam condidit: ex qua Strabo nonnulla refert lib. xvii. Eudemius Rhodius[a], cujus vitam Damas memoriæ prodidit, ut in commentarijs Simplicius ſcribit. Ad hunc Ariſtoteles lib. viii, qui Eudemiorum, direxit. Clearchus Solenſis quem Fl. Ioſeſephus lib. pr. contra Apionem dicit peripateticum eum nulli ſecundum, cujus pluribus meminit Voſſius lib. primo de Hiſto. Græcis cap. ix. Hieronymus Rhodius, cujus Cicero pluribus in locis mentionem facit, ut ii, & v. de finibus cujus verba referre minimè piget, cùm ex iis ejus etiam doctrina colligatur: Ea autem ſunt: *Praeterea multos, in his, doctum hominem, & ſuavem, Hieronymum: quem jam cur Peripateticum appellem, neſcio: ſummum enim bonum expoſuit vacuitatem doloris*, & eodem libro, *Elegit ex mul-*

multis Iſocratis libris nigința fortaſſe verſus Hieronymus Peripateticus in primis nobilis. Dicæarchus Meſſenius philophus, Orator, & Geometra; cujus meminit D. Hieronymus lib. II. adverſus Iovinianum, ut mittam cœteros, quos eruditiſſimus, & multæjugis lectionis congerit Voſſius lib. pr. de Hiſtor. Græcis cap. IX. Cicero nunc eum Luculentum ſcriptorem, nunc hiſtoriæ perititiſſimum, nunc Peripateticum magnum, & copioſum vocat. Clitus Mileſius, qui unus fuit ex comitibus Alexandri, à quo & haſta trajectus, ut ij prodidêre, qui res Alexandri geſtas literis conſignarunt, meminitque Valerius Maximus lib. IX, cap. III. Quod autem Ariſtotelis diſcipulus clarè Athenæus docet lib. XIV. cap. XXVI. *Clitus Mileſius Ariſtotelis diſcipulus in primo de Mileto.* Heraclides Ponticus inſignis philoſophus, qui & Platonem, & Speuſippum etiam nepotem audivit, ut & Pythagoricos quoſdam, alius omnino ab Heraclide Pontico, qui Caij, Claudij, & Neronis temporibus vixit, qui junior. De eo Suidas ait: multa ſcripſiſſe

verſu heroico, & alia. Plato quidam incertæ patriæ; alius item omnino, ut patet, ab eo, qui Ariſtotelis præceptor patria Athenienſis; memoratur Laërtio lib. III. in fine. Paſicrates Rhodius natus ex Bonæo Rhodio fratre Eudemi; atque hic Paſicrates auctor creditur lib. 2. metaphyſicorum, qui Græcis minus Alpha vocatur, & hanc aliquorũ de auctore fuiſſe ſentẽtiam refert Ioãnes Philopponus in lib. metaphyſicorum. Ariſtoxenus Tarentinus philoſophus, & muſicus nobiliſſimus, qui & Patrem audivit, & Lemprum philoſophum Erithræum, dein Zenophilum Pythagoricum, poſtremò Ariſtotelem, in quem morientem convicium dixit, quod ſibi Theophraſtum in ſcholæ ſucceſſione, & magiſterio præpoſuiſſet, auctore A. Gellio lib. IV. cap. XI. Hermias Eunuchus trapezitæ cuiuſdam famulus, qui Athenas profectus Platonem, & Ariſtotelem audivit, poſteà ad dominum reverſus, cum eo Atarnenſes, & Aſſenſes aggreſſus ſubegit, ac porrò domino in imperio ſucceſſit, Ariſtotelemque ac Xenocratem ad ſe accerſitos, & magnificè habuit, &

honoratè

honoratè volentes dimiſit, Ariſtoteli etiam ſorore in matrimonium data, Strabone auctore lib. XIII. Quamvis aliqui fratris proneptem fuiſſe ſcribant. Suidas Hermiæ filiam, nomenque ei reddit Theten. Phanias, ſeu Phænias Ereſius, quem in Solone Plutarchus, Lesbium vocat. Et ad hunc Theophraſtus concivis epiſtolam ſcripſit, cujus mentio lib. v. apud Laërtium. Sed quid mirum? Cum Ereſo civitas ſit inſulæ Lesbi, ut ex Strabone, Mela, Ptolomæóque conſtat. Palæphatus Abydenus qui non ſolùm diſcipulus, ſed amaſius Ariſtotelis fuit, ut Philo ſcripſit lib. pr. de adm. hiſtor. & Theodorus Ilienſis Troicorum lib. 2. ex hiſque *Suidas*. Antipater Iolai, ſive Iuli F. vir præter ſcientiam rei militaris (fuit enim miles Philippi) literatiſſimus. Scripſit Antipaterres à Perdicca in Illyriis geſtas teſte Suida, & alia. Menon quidam Ariſtotelis diſcipulus fuit. Laudatur Galeno commentario in Hippocratem de natura humana. Si extaret Nicandri Alexandrini liber de diſcipulis Ariſtotelis, cujus meminit Suidas; profectò & diſpicere-

piceremus, num Satyrus Peripateticus Ariſtotele Magiſtro profeciſſet, ut aliquorum ſententia eſt. Plutarchus item in Politicis meminit Euxithæi Ariſtoteli familiaris; cui item familiaris Philo Alexandrinus adverſus quem Demochares Demoſthenis conſobrinus rhetor, (non Solenſis ille, qui Plutarcho teſte in Demetrio, poëta fuit,) orationem ſcripſit, auctore Athenæo lib. XIII, cap. XXXIV, qua Sophoclem defendit, cùm philoſophi omnes Attica excedere, juſſi eſſent. Meminit C. Rhodiginus Lect. Antiq. lib. 22. cap. 21. Sed doctrina cœteros omnes præſtitêre Theophraſtus, & Eudemus. Quare præceptore annum LXII, cùm Magiſterij ab eo ſucceſſionem peterent auditores, cœteris prælatis Theophraſti Lesbio, asque Eudemo Rhodio, lepida quadam, ac eleganti vini Lesbij, ac Rhodij metaphorica guſtatione, alterum alteri verecundè prætulit: utrumque, inquiens, oppidò bonum. Rhodium firmum, & jucundum (erat autem Eudemus è Rhodo) cœterùm Lesbium ſuavius; ita Aulus Gellius lib. XIII. cap. V. Quamobrem cùm non diu pôſt

vita-

vita functus fuerit Ariſtoteles

THEOPHRASTVS ERESIVS

In Lyceo illi ſucceſſit Olymp. CXIV, ãno tertio, biennio poſt mortem Alexandri Magni, quo eodẽ etiã Demoſthenes anno deceſſit. A divinitate loquendi nomen Theophraſtus invenit; cùm priùs Tyrtamus diceretur. Cujus rei meminit Strabo lib. XIII, Laërtius lib. V. in Theophraſto, Ioannes Tzetzes Chil. IX. cap. CCXVI, atque Suidas. In patria Theophraſtus Leucippi concivis fuit primò auditor, inde cùm Platonem audiſſet ſe ad Ariſtotelem contulit. Tanta nobilitatus floruit auditorum multitudine, ut circiter bis mille Diatribam ejus aſſiduè frequentarent. Inſigniores Eudemus Rhodius, qui etſi doctiſſimus vir, & unus, ut vidimus, è principibus Ariſtotelis auditoribus, haud tamen grave habuit, & inter Theophraſti anditores recenſeri. Simplicius ſcribit lib. pr. phyſicorum ſuper textum XXX, & lib. VI. ſuper textum LI. in ómnibus Eudemum ſecutum Atiſtotelem, ejuſque decreta,

creta, & ſententias, omnium ejus interpretum optimè cognitas, & perſpectas habuiſſe. Demetrius Phalereus, qui ob eximias virtutes Athenienſibus præfuit per decennium, à quibus tot ſtatuis fuit etiam ornatus, quot dies annus habere credebatur, hoc eſt, trecentis, & ſexaginta. In ejus laudes Cicero de claris Oratoribus, & lib. pr. de officiis. Obiit ſub Philadelpho. Menander Athenienſis inter omnes novæ comediæ poëtas facile princeps, qui amore in mulieres fuit inſanus. De eo Quintilianus lib. x. cap. 1. ait: *Menander meo quidem judicio diligenter lectus ad cuncta, quæ præcipimus, efficienda ſufficit. Ita omnem vitæ imaginem expreſſit, tanta in eo inveniendi copia, & eloquendi facultas, ita eſt omnibus, perſonis, affectibus, accommodatus, ut omnibus ejuſdem operis auctoribus tenebras obduxerit.* Vixit ex Euſebio in Chronico Olymp. CXII, Lyncæus Samius grammaticus FR. Duridis. Meminit Athenæus lib. VIII. cap. V, dicens: *Lyncæus Samius Theopraſti diſcipulus, frater Duridis, qui ſcripſit hiſtorias, & in patria tyrannidem occupavit.* Polyſtratus Athenienſis cognomento Tyrrhenus, cujus me-

minit Athenæus lib. XIII. cap. XXXI. Hyppolochus Macedo, cujus, & Lyncæj, mentionem facit idem Athenæus lib. IV. cap. pr. Dinarchus Corinthius adoleſcens venit Athenas, quo tempore in Aſiam duxit exercitum Alexander, ibique provecta jam ætate cùm alios audiſſet, Theophraſtum etiam audiit, cumque Demetrio Phalereo verſatus eſt, Proxenique ſocius fuit. Nonnulli, & Eudemum Cyprium, qui Ariſtoteli familiaris, Theophraſti auditorem faciunt. Cœterùm ſi is ille idem eſt, cui morienti Ariſtoteles de animo dialogum miſit, ut Plutarchus in vita ſcribit Dionis, haud Theophraſti potuit eſſe auditor, ut clarè patet; ſiquidem Theophraſtus Magiſterij munus, nonniſi vita functo Ariſtotele obivit, ut vidimus ſuprà. Nereus Coriſci philoſophi Socratici F. patria Scepſius, qui & audivit Ariſtotelem & ſucceſſor fuit Bibliothecæ Theophraſti, in qua Ariſtotelica inerat; nam Ariſtoteles, & Bibliothecam, & ſcholam reliquit Theopraſto, Theophraſtus verò eam tradidit Neleo; Neleus autem Scepſim, hoc eſt, in patriam ſuam detulit

lit eam, poſteriſque dedit, qui imperiti negligenter lib. os, & occluſos tenebant: cùmque ſtudium eſſet Attalicis Regibus conquirendorum librorum, hoc iis audito in foſſa ſub terra abſcondunt; quò loci quantùm, & tinæis exæſi, & humiditate labefacti fuerint, unuſquiſque ſecum ipſi reputanti facilè cognoſcet. Tandem ab Apellicone Tejo magna empti mercede, cùm ſitu maculatos offenderet, pro arbitrio eos aggreſſus eſt ſupplere, & emendare, plùrimiſque temeravit erroribus. Sed de calamitate librorum Ariſtotelis legendus eſt Ioachimus Perionius in oratione prima contra Petrum Ramum, qui abundè de hoc argumento. Nam poſtquam Petrus Ramus bellum Ariſtoteli philoſophorum omnium principi indixerat (ſed qui Polydamas auſit illum Hectorem, qui Dis hominibuſque faventibus tenet profectò, tenebitque Philoſophiæ regnum) planè negabat, libros, qui nunc extant, Ariſtotelis eſſe. Primò quod in ijs ſe minimè eloquentiæ aureum illud orationis flumen, quod Ariſtoteli attribuit Cicero deprehendere diceret. *Se-*

cundò

cundò quod à tineis blattiſque ita exęſos fuiſſe,ut neutiquã poſſet agnoſci. Quibus Ramęj objectionib. Perionius occurrens duplici oratione duplex objectamẽ luculenter planè diluit anno 1544. Adhuc tamen & hodie alicubi controverſiã vigere interPeripateticos,& Ramæos,an quibus utimur libris ſint verè Ariſtotelis Stagyritæ illius, Hornius ſcribit lib. 3. Hiſtor. Philoſoph. cap. xv. Sed redeat ſtylus ad Theophraſti diſcipulos, quos inter Democles memoratur Plutarcho in vita Licurgi Oratoris è decem Græciæ. Et Simachus Hermippo apud Athenæum lib. vi. cap. vi, quamvis Athenæus dicat præceptorem fuiſſe, & adulatorem Attali Regis, quem deſcribit Callimachus Theodori. Vixit Theophraſtus centum, & ſeptem annos, ſi D. Hieronymum in epiſtola ad Nepotianum, audiamus. En ejus in teſtimonium verba: *Vnde & ſapiens vir Theophraſtus,* (non Themiſtocles, ut rectè emendat Caſaubonus Notis ad Theophraſti characteres, *cùm, expletis centum, & ſeptem annis, ſe mori cerneret, dixiſſe fertur, ſe dolere, quod tum egrederetur è vita, quando ſapere cœpiſſet.*
Quam-

Quamvis alijs ad tantam perveniſſe eum ætatem, minus veriſſimile fiat, quod Cenſorinus de die natali cap. xv. ubi pleroſque recenſet longævos, non ejus meminit. Nec imprimis Lucianus, qui de hoc argumento ex profeſſo agit libro illo ſuo de Macrobiis, Porrò auditor ejus Theophraſto ſucceſſit

STRATO LAMPSACENVS

Cognomento phyſicus. Quam nactus eſt appellationem, quod imprimis in naturæ ſpeculatione verſaretur. Vir fuit acri ingenio, ſummaque eloquentia præditus: Cœterùm germanum eum peripateticum fuiſſe Cicero apertè inficiatur lib. pr. Academicarum quæſt. *Strato Theophraſti auditor, quamquam fuit acri ingenio, tamen ab ea diſciplina omninò ſemovendus èſt; qui cùm maximè neceſſariam partem philoſophiæ, quæ poſita eſt in virtute, & in moribus, reliquiſſet, totúmque ſe ad inveſtigationē naturæ cōtuliſſet: in ea ipſa plurimùm diſceſſit à ſuis.* Ptolomæum Philadelphum, qui ſecundus poſt Alexandrum Magnum fuit, edocuit unà cum Phileta

Elegia-

Elegiarum ſcriptore ex Inſula Co. Inſuper docuit Lyconem, qui Ariſtonem, ut ex quinto de finibus clarè habemus: *Primùm Theophraſti Strato phyſicum ſe voluit: in quo etſi eſt magnus, tamen nova pleráque, & perpauca de moribus. Hujus Lycon* (non Lyſias, ut multi habent, ſed perperam textus) *& oratione locuples, rebus ipſis* jejunior; *Concinnus & elegans hujus Ariſto.* Apulejus in Apologia: *Majores meos, Ariſtotelem dico, & Theophraſtum, & Eudemum, Lyconem, cæteróſque Platonis minores.* Lyceo Strato præeſſe cœpit Olymp. cxxiii, ut Apollodorus in Chronicis refert, idque tenuit annis xviii. Cui ejus ſucceſſit auditor

LYCON TROADENSIS

Vir eloquens, & in dicendo adeo ſuavis, ut pro Lycone Glycon nominaretur, quod nomen dulcedinem ſonat. A Hieronymo Rhodio averſiſſimo animo fuit, ut ſolus ille anniverſario diej intereſſe neglexerit, ut Laërtius ſcribit lib. v, in Lycone. Attalo Regi fuit maximè carus, à quo, & divitijs pro conditio-

ditione ditatus. Panchœdi dialectico præter Stratonem operam dedit. Lyceo præficitur Olymp. CXXVII, in eoque duos ſupra quadraginta annos duravit. Quo humanis exempto

ARISTO CEVS

Auditor Magiſterij munus ſuſcepit, ut modò Ciceronis anctoritate oſtendi. Dicitur autem Ceus, quamvis Iuletes Quia Iulis eſt civitas in Inſula Ceo. Meminit ejus libro decimo Strabo, qui Bionis Boriſthenitæ imitatorem fuiſſe ſcribit. Iuletemque non ſolúm Ariſtonis hujuſce patriam extitiſſe, ſed etiam Simonidis, poëtæ Lyrici, & Bacchylidis, qui Simonidis conſobrinus erat, & Eraſiſtrati medici. Diligenter autem cavendum eſt, ne Ariſtotenem hunc Ceum ſecta Peripateticum cum Ariſtone Chio Zenonis Cyttæj stoicorum principis auditore, confundamus; nominum enim ſimilitudo facilis errandi occaſio eſt, ſiquidem unus ab altero plané diverſus eſt, ut pluribus Voſſius lib. II de Hiſtor. Græcis cap. IV. Porrò

Ariſtonis auditor, atque ſuceſſor Voſſio eodemet auctore lib. de ſectis cap. XVII §. XXIV.

CRITOLAVS ATHENIENSIS

Nominatur, quem patria Phaſelitem facit, alij Athenienſem, quibus planè ipſe aſſenzior; ternos enim fuiſſe hoc nomine celebres viros memoriæ prodūnt ſcriptores. Cœterùm qui Diodori Magiſter, & de quo non ſemel meminit Cicero, Atheniesſem fuiſſe teſtantur ſcriptores lib. pr. de Oratore. Et hic ille idemet Critolaus eſt, qui cum Carneade Academico, & Diogene stoico Athenis Romam venit legatus. Cicero 2. de Oratore. *Critolaum iſtum, quem ſimul cum Diogene veniſſe commemoras, puto plus huic ſtudio noſtro prodeſſe potuiſſe. Erat enim ab iſto Ariſtotele à cujus inventis tibi ego videor non longè aberrare* Critolaum audivit

DIODORVS

Vt quinto definibus Cicero teſtatur.

Qui

Qui etiam præceptori in Magiſterij munere ſucceſſit. Primo item de Oratore. *Peripatetici Critolaus*, *& Diodorus.* Quis porrò Diodoro ſuffectus fuerit, minimé patet, Gerardus Ioannes Voſſius lib. de ſectis cap. XI. §. IV. undecimum ab Ariſtotele ſignat Andronicũ Rhodiũ, unde tres omnino deſiderarentur, qui Lycei curam egêre, ac magiſterij munere functi, doctores. Diu in eorum nomina inquiſivi; at nondum noti damnatus, (qui calles, lector, queſo te, juva ad oram) lubet, eum, qui ſequitur

ANDRONICVS RHODIVS

In albo peripateticorum præceptorum ſignare, qui undecimus ab Ariſtotele, memoratur Straboni, Galeno, ſive Aethio, Plutarcho, Ammonio, atque Simplicio; ſiquidem de Ariſtotelicis ſcriptis, deque tota ſimul poſteritate optimè meritus eſt. Cùm enim ob eam, quæ ſcriptis Ariſtotelicis accidit calamitatem, de qua ſuprà, nihil haberent, quo tutò philoſopharentur, qui Theophraſto ſucceſſêre peripatetici, annis cc. diſci-

diſcipulos exercuêre de quæſtionibus omnibus in utramque partem diſſerendo; non quaſi non præſtet Analytice Topicis: ſed quia acroamatica Ariſtotelis, & Theophraſti Athenis ſepulta, abditaque delituerint uſque ad Athenas captas atque adeo ex hoc conſequens fit poſteriores peripateticos exquiſitiùs philoſophatos, quod Ariſtotelis volumina(quãquã licubi contaminata) pervolutarint. Quippe Lucius Sulla Bibliothecam Apelliconis repertam Athenis Romam tranſtulit; tum grãmaticus Tyrannion, & ei penè ſuppar Andronicus Rhodius magna copia libros ejus philoſophi tabulis etiam neſcio quibuſdam æditis invulgarunt. Vide Strabonem lib. XIII. Geograph. Plutarchum in vita Sullæ, & Politianum cap. pr. libri Miſcellaneorum.

Quo etiam factum eſt, ut inſignes philoſophi, & ſapientiſſimi viri Romam convolarint. Deſtructis enim Corintho à L. Mummio Olymp. CLVIII. an. 4. A condita verò urbe IↃCVIII. Qu. Fabio Max. Aemiliano, & L. Mancino Coſſ. Athenis vero à L. Sulla, urbiſque mœ-

nibus dirutis Olymp. CLXXIII. clariſſimis Græciæ urbibus, Appelliconis item Bibliotheca Romam tranſlata, ipſi quoque Romam veluti in alteras Athenas migrarint; quibuscum, & ipſæ Muſæ quaſi captivæ adductæ ſunt. Quamobrē ut Græcæ diſciplinæ non ampliùs Athenis, ſed Romę habitare cœperūt, ita etiam tum Romani græcæ linguæ maximè ſtuderè cœperunt. Quò proculdubio Iuvenalis reſpexit ſat. v.

Nam quid rancidius quàm quod ſe non
putat ulla
Formoſam, niſi quæ de Thuſca græcula
facta eſt?
De Sulmoneſi mera Cecropis. Omnia græcè
Cum ſit turpe magis noſtris neſcire Latinè.

atque adeo Quintilianus lib. pr. Inſtit orator. cap. 1. *A ſermone græco puerum incipere malo.* Cùm antè non ſolùm viderentur alieni, ſed planè infeſti Romani. Sanè M. Cato Cenſorius, qui tergemina maximè laude emicuit, ut ex diſcimus Plinio lib. VII. cap XXVII, quod optimus eſſet Senator, optimus Orator, optimus Imperator; uti erat infēſiſſimus Græcis, ita pro viribus à Romanis ſedibus

dibus Græcam Philoſophiam græcaſque literas arcere ſemper ſummoperè ſtuduit. Exiſtimabat enim priſcæ ſe veritatis homo, ut & alij cum eo quamplures Romanæ Reipublicæ præclariſſimi viri nimium levitatis habere literarum ſtudia, & per ea juvenum animos ad otia vocari, planè emolliri, & reddi imbelles. Quo ſenſu Ovidius lib. pr. de Ponto VII.

Artibus ingenuis, quarum tibi maxima cura eſt
Pectora molleſcunt, aſperitáſque fugit.

& idem lib. 2. de Ponto IX.

——— *ingenuas didiciſſe fideliter artes*
Emollit mores, nec ſinit eſſe feros.

vide Senatus conſultum Romanum apud A. Gellium lib. XV. cap. XI. C. Fannio Strabone, & M. Valerio Meſſala coſſ. tum edictum Cn. Domicij Aenobarbi, & Livij Licinij Craſſi coſſ. De Philoſophis, & Rhetoribus urbe Romæ exigendis. Nimirum C. Marius apud Saluſtium in Iugurtha: *Neque literas græcas didici, parùm placebat eas diſcere, quippe quæ ad virtutem doctoribus nihil porſuerunt.* Idem Saluſtius in oratione ad

C. Cæſarem de Republica ordinanda. *Vnius M. Catonis ingenium verſutum, loquax, callidum haud contemno. Parantur hæc diſciplina Græcorum, ſed virtus, vigilantia, labor apud Græcos nulla ſunt. Quippe cùm domi libertatem ſuam per inertiam amiſerint, cenſeſne eorum præceptis imperium haberi poſſe?* Hacque de cauſa, cum tres illi Athenienſium Legati Carneades Cyrenæus Academicus, Critolaus Athenienſis Peripateticus, & Diogenes Babylonius Stoicus, quorum etiam ſuprà meminimus lib. pr. cap. vi., auditi à Senatu fuiſſent, & quidem Carneades tanta facundia cauſſam egiſſet, ut omnes in ſtuporem dederit; atque ſubindè ad Populum Academico more diſſeret, ut Inventus Romana undique ad eum audiendum conflueret, ſubverens Cato, ne ob Grȩcam facundiam quid ex ea Reſpublica, aut Romana juventus damni caperet, ſtatim curavit, ut confectis rebus Carneades cum ſocijs in Græciam remitteretur. Sed lubet audire quid de Græcis Cato ad filium ſcripſerit: *dicam de iſtis alio loco, Marce fili, quid Athenis exquiſitum habeam, &*

quod

quod bonum ſit illorum literas aſpicere, non perdiſcere. & mox. *Quandocúmque iſta gens ſuas literas dabit, iram corrumpet, tunc etiam magis ſi medicos ſuos mittat.* Sed tandem à Romanis Græcia devicta, cùm Romanos cepiſſet ardor ſciendi, Græcarum literarum ſtudia emerſerunt. Extant è re Servij verſus apud A. Gellium lib. XVII, cap. XXI.

Punico bello ſecundo Muſa pennato gradu
Intulit ſe bellicoſam in Romuli gentem feram.

eadem mente, & Horatius loquitur lib. 2. epiſt. pr. n. 156.

Græcia capta ferum victorem cepit, & artes
Intulit agreſti Latio. Sic horridus ille
Defluxit numerus Saturnius: & grave virus
Munditiæ pepulêre. Sed in longum tamen ævum
Manſerunt, hodiéque manent veſtigia ruris.
Serus enim Græcis admovit acumina chartis:
Et Punica bella quietus, quærere cœpit,

Quid Sophocles, & Theſpis, & Æſchylus utile ferrent

& optimé quidem uterque poëta Romanos bellicoſam feramque gentem appellat; ſiquidem antequam

—— —— —— ——ſapere urbi

Cum pipere, & palmis venit.

ut Perſius inquit ſat. v.

Qui benè pugnabat, Romanam noverat artem:

Mittere qui poterat pila, diſertus erat.

Sulmonenſis ſcripſit poëta. Atque hinc Varro Bimargo: *Avi, & Attavi noſtri, cum allium, ac cepe eorum verba olerent, tamen optimè animati erant.* Nimirum Romanorum tunc temporis princeps cura, ſtudiumque erat, ut à ſociis, vel etiam hoſtibus ea addiſcerent, quæ unam militarem diſciplinam ſpectarent. Quamobrem videas eos rebus bellicis adeo præſtitiſſe, ut quingentis illis annis, qui à primo conſulatu numerantur ad Auguſti obitum, è quingentis quinquaginta præliis, quot commiſiſſe docent rei militaris ſcriptores, quadringenties quadragies victores diſceſſerint ac præliis quidem aliquot fuerint ſuperati

rati, bello ſemper fuerint ſuperiores.

Illud autem non hic ſilentio involvam, quod quamvis Athenæ à L. Sulla fuerint captæ, non tamen dirutæ, niſi earum, ut diximus, mœnia, quæ etiam ſub Valeriano Imperatore ob Scytharum incurſiones inſtaurata fuêre, ut Euſebius refert priori libro operis Chronologici, itemque Zonaras. Imo Adrianus Imperator multis ædificiis urbem, & ornavit, & amplificavit, ut ex Pauſania in Atticis, atque Xiphilino habemus, atque adeo putare non debemus quod poſt Sullæ tempora non emicuerint Athenis, atque in Græcia literarum ſtudia, ac viri doctrina præſtantes, ut non obſcurè colligimus ex illa nobili Oratorum corona, quam Cicero memorat Olymp. CLXXIV, & CLXXV, quos habuit dicendi Magiſtros, quorum primus erat Molo Rhodius, cujus in Bruto mentionem facit his verbis: *eodem tempore Moloni dedimus operam, dictatore enim Sulla legatus ad Senatum de Rhodiorum præmijs venerat.* Sed legenda planè ſunt, quæ paulò poſt ſuperiora verba Cicero habet. Cum enim narraſſet, ut

poſt actam cauſſam pro Roſcio Amerino Athenas conceſſerit, atque ibi in philoſophia audierit Antiochum, addit: *eodem tempore Athenis apud Demetrium Syrum, veterem & non ignobilem dicendi Magiſtrum, ſtudioſè exerceri ſolebam. Poſt à me Aſia tota peragrata eſt, cum ſummis quidem Oratoribus, quibus cum exercebar ipſis lubentibus; quorum erat princeps Stratonicenſis, meo judicio, tota Aſia illis temporibus diſertiſſimus: &, ſi nihil habere moleſtiarum, nec ineptiarum, Atticorum eſt; hic Orator in illis numerari rectè poteſt. Aſſiduiſſimè autem mecum fuit Dionyſius Magnes: erat etiam Æſchyllus Cnidius, Adramitenus Xenocles. Hi tum in Aſia Rhetorum principes numerabantur. Quibus non contentus, Rhodum veni, méque ad eundem, quem Romæ audiveram Molonem applicavi, cum actorem in veris cauſſis ſcriptorémque præſtantem, tum in notandis animadvertendiſque vitiis, & inſtituendo docendóque prudentiſſimum.* Quæ quidem literarum ſtudia in Græcia eo uſque viguerunt uſque dum capta à Turcis Conſtantinopoli anno 1453. miſereque direptis alijs urbibus tota nobilitas, ac Attica vir-

virtus in italiam commigrare coacta eſt.

Sed quid nunc temporis Athenarum? penitùs, aliqui ſcribunt, deſtructas, nihil nunc ſupereſſe, niſi paucæ pauperum piſcatorum caſæ, atque magalia. At ſi Theodoſij Zygomalæ Prothonotarij epiſtolam legas, qua commendat aëris illius ſummam temperiem aliaſque res & hodie multorum ædificiorum reliquias extare planè cognoſces. Imò adhuc celebris urbs eaque populata, & ingens, quamquam planè barbara, imò ipſa barbarie magis barbara, ut videre eſt in libro de ſtatu Eccleſiarum hoc tempore in Græcia, Aſia, Africa, Davidis Chytræj. Theodoſius autē Zygomalas Prothonotarius Eccleſiæ Cōſtātinopolitanæ in epiſtola ad Marſium Cruſium Tubingenſis Academiæ Profeſſorem anno 1575, xv. Aprilis ſcripta, ait, ſe cùm Nauplius ſit Peloponneſius, Athenas ſæpe, & accuratè, & curioſè omnia perluſtraſſe: Areopagum, Academias, Ariſtotelis Lyceum, Pantheon, & alia. Sed jam me in gradum repono.

Quis porrò Andronico ſucceſſerit

Rhodio, ſcriptorum, quos viderim, aperit nullus. Quare uſque ad Alberti cognomento Magni ævum interciſa Peripateticorum ſeries, atque ſucceſſio, occurrit. Auguſtinus Niphus Sueſſanus commentarijs in lib. pr. de Cœlo habet: Quod Bacconis tempeſtate prohibita fuit Pariſiis philoſophia Ariſtotelis, Averrois, & Avicennæ, & quod ejuſmodi duraverit prohibitio donec emerſerunt Albertus, Thomas, Henricus, & alij, quorum lucubrationibus, mirum! quàm latè percrebuerit, egerit illa radices. Vidiſſem libenter unde id hauſerit, teſtem, Auguſtinus. Quamquam optimè ſcio nullum tam impudens eſſe mendacium, quod teſte omnino careat. Nimirum quis iſte fuerit Baccon, cujus ævo Ariſtotelis, Avicennæ, & Averrois philoſophia ne legeretur, cautum, planè ignoro, & lubentiſſimè cognoſcerem. Si enim is Rogerus Bacconus Anglus, vir ultrà quàm ſæculum ſuum tulit doctus, cùm hic floruerit anno MCCLXX. ut Gerardus Ioannes Voſſius ſcribit de Quatuor Artibus Popular. ubi de ſcientiis mathematicis cap. 60. §. 13. Tantum autem

autem abeſt, ut ulla fuerit, ne legeretur Ariſtotelis philoſophia, cautio, quod tunc temporis potiſſimùm philoſophia Ariſtotelica caput è ſitu, & ſquallore exerebat, & ad ſummum dignitatis, & auctoritatis ſuæ faſtigium contendebat. Quippe Albertus Magnus docendo, & ſcribendo miris celſiſſimi ingenij ſui luminibus Ariſtotelis philoſophiam maximè illuſtraverat, & ad uſqne Sydera evexerat. Quem porrò conſecuti ſunt alij ſapientiſſimi, clariſſimi, viri, S. Thomas, Henricus, Scotus, & alij. Quod ſi Ioannes Baccon & ipſe Anglus, quem Trithemius, ut & Balæus Baconthorpium appellant, multò minùs ejus ævo cautio ulla, ut patet, cùm tunc & ipſe Profeſſor quà Pariſiis, quà Oxoni in Anglia fuerit, & in Ariſtotelicæ philoſophiæ ſtudiis ac Theologiæ maximè celebris, doctoriſque *Reſoluti* conſecutus ſit nomen, qui ex Iacobo Philippo in ſupplem. lib. XIII, florebat anno MCCCXLI. Quarè alius ab his Baccon, de quo Niphus. Quis autem ille Oedippo mihi planè opus, vel Sphinge.

Lubens autem hic attexam Ioannis

Pici Miradulani, quod de Græcis Philoſophis judicium protulit in Apolog. CM theſium :*eſt*, inquit, *apud Græcos nitida imprimis, & caſta Philoſophia. Apud Simplicium locuples, & copioſa. Apud Themiſtium elegans, & compendiaria. Apud Alexandrum conſtans, & docta. Aqud Theophraſtum graviter elaborata. Apud Ammonium enodis, & gratioſa. Etſi ad Platonicos te converteris, ut paucos percenſeam, In Porphyrio rerum copia & multijuga religione delectaberis. In Iamblico ſecretiorem Philoſophiam, & barbarorum myſteria venera-beris. In Plotino privatum quicquam non eſt, quod admireris, qui ſe undique præbet admirandum, quem de divinis divinè, de humanis humanè, longè ſuper hominem docta ſermonem obliquitate loquentem ſudantes Platonici vix intelligunt.*

CAPVT II.

Philoſophos recenſeo Peripateticos, qui magis illuſtres, & quorum ſuceſsionis ſeries me planè fugit.

NEgari non poteſt quamvis intercíſa Peripateticorum ſeries occurrat, quin cultores Lyceum, & quidem ſummos viros habuerit intereà temporis, et ſi vel temporum injuria, vel hominum incuria ſucceſſionis nos lateat ordo.

Hermippus quippe *Smyrnæus* diſcipulus Callamichi grammatici, & condiſcipulus Appollonij Rodhij, peripateticus à D. Hieronymo vocatur in prologo de viris illuſtribus. Floruit ſub Ptolomæo Evergete, ac ſub Philopatore. Quare alius planè ab Hermippo comico, qui antiquior, & Hermippo Berytio Philonis Biblij diſcipulo, qui iunior nam Adriani Principis tempore vixit.

Satyrus, cujus item meminit D. Hieronymus quà loco nuper citato, quà lib. 2. adverſus Iovinianum, qui fuit vel ſaltem minimè antiquior, ut è diſcipulis

lis Ariſtotelis eſſe minimè potuerit ut viſum nonnullis, cùm Ariſtoteles anteceſſerit ſæculo toto. Conſule Voſſium de Hiſtoricis Græcis incertæ ætatis lib. 3. Meminit ejus Laërtius in vita Socratis & alibi non ſemel.

Sotion, qui de ſuceſſionibus ſcripſit, philoſophus peripateticus fuit, vixitque ſub Ptolomęis, ut alius ſit omnino a Sotione, qui claruit temporibus Tiberij Cæſaris. A. Gellius lib. pr. cap. VIII. Sotionis meminit dicens: *Sotion ex peripatetica diſciplina haud ignobilis vir.* Sed utrum intelligat non conſtat.

Phormio, quem Annibal Carthagine pulſus Epheſi apud Anthiochum Regem audire concupiit, ut 2. de oratore Cicero, philoſophus peripateticus fuit, ac emicuit ſub Epiphane. Meminit Plutarchus in Annibalis, P. Scipionis Africani comparatione.

Ariſtobulus natione *Iudæus* philoſophus peripateticus fui, ut eū vocat Clemens Alexandrinus lib. pr. strom. & Euſebius lib. VIII. Præparationis Evang. cap. 3. qui diſcipulus Agathobuli, Magiſter fuit Ptotolomæj Philometoris. Ejus mentio fit lib. 2. Machabeorum

cap. 1 ẏ x. & apud Euſebium in Chronico ad A. M. 5020.

Agatarchides Cnidius, qui eodem Ptolomæo Philometore regnante emicuit; quamvis ſi tralationem Xilandri ſequamur Iulij Cæſaris ævo. A Diodoro Siculo lib. 3 celebratur, & à Strabone, qui eum lib. xiv. inter illuſtres Cnidi viros commemorat.

Athenion philoſophus peripateticus fuit, pręfuitque philoſophico cœtui Athenis, in Meſſena, & in Lariſſa Theſſaliæ. temporibus Mithridatis Regis, ac tyrannidem poſteà in Athenienſium civitate exercuit, de quo ſingula particulatim à Poſidonio Apameo ſcribuntur. Vide Athenæū lib. v Dipnoſph. cap. xi. Qui, & ſcholæ *Erymnei* peripatetici meminit, qui eodem tempore florebat. At felici ævo Auguſti, quo tot ingenia eluxerunt, quot Peripateticorum?

Staſeas Neapolitanus nobilis ille M. Piſonis Magiſter, philoſophus peripateticus fuit. Ejus nom ſemel lib. v de finibus meminit Cicero, quem & nobilem peripateticum vocat.

Ariſto Alexandrinus, qui ſcripſit de Nilo, peripateticus fuit Meminit Stra-

bo lib. XVII. Geographiæ. Et hic planè alius ab Ariſtone item peripatetico, de quo ſuprà, qui patria Ceus, ſive Iuletes; eſt enim Iulis in Inſula Ceo. Meminit Laërtius lib. VII. in Zenone.

Nicolaus Damaſcenus vir planè ſummus, & undecumque doctiſſimus, ſecta peripateticus fuit. Herodi Regi extitit familiaris, & Auguſto Cæſari amiciſſimus. Libros ſcripſit historiarum CXLIV, ut Athenæus refert lib. VI. cap. VI. Dipnoſophiſtarum.

Athenæus è Seleucia Ciliciæ, qui & Rempublicam tractavit, & Murena uſus eſt familiariter, philoſophus peripateticus fuit, atque Orator; diverſus planè ab Athenæo Naucratita grammatico auctore XV librorum Dipnoſophiſtarum, & illo à Galeno celebrato libro de elementis, & lib. 2 de cauſſis ſymptomatum. Floruit ævo Auguſti Cæſaris.

Xenarchus item è Seleucia Ciliciæ qui docuit Alexandriæ & Athenis poſtremò Romæ, ſecta peripateticus fuit. Arij primùm philoſophi, deinde Cæſaris Auguſti amicitia uſus eſt. Quem Strabo admodum juvenis audivit, ut ipſemet ſcribit

ſcribit lib. XIV.

Alexander Marci Craſſi præceptor vir temporibus illis celeberrimus, ſecta peripateticus fuit. Humanitatis, ac contemmendæ gloriæ præclariſſima exempla de ſe præbuit quæ Plutarcho memorantur in vita Marci Craſſi.

Cratyppus Mityleneus peripateticorum omnium, quos Cicero audivit, ejus judicio facilè princeps, cui & M. F. operam dedit, ut lib. pr. de officijs conſtat. Ciceronis opera, & Romanorum, & Athenienſium civitate donatus, fugientemque Pompejum ad ſpem mitiorem adduxit.

Ariſtocles Pergamenus Herodis Attici frequentator philoſophus Peripateticus fuit, interque clarus Sophiſtas, qui ad ſe ex omni Græcia multitudinem traxit, floruitque ſub Adriano Principe.

Ariſtocles item *Meſſenius* ſectæ peripateticæ fuit alumnus, ſed qua ille tempeſtate floruerit haud nobis apertum. Ex eo Theodoretus Therapeut. ſerm. VIII narrat Lyconem Pythagoricum tradere, ab Ariſtotele, Nicomarchi F., eo rituconſueviſſe rē divinam fierit uxori mortuę quo Athe-

Athenienſes Deæ Cereri ſolebant.

Claudius Severus cujus meminit Galenus lib.2.de præcognitione, ſecta peripateticus fuit. Docuit M.Antoninũ Verum cognomento Philoſophum, ut Iulius Capitolinus refert. ſed præ cœteris inſignis emicuit

Alexander Aphrodiſæus, cui Soſigenes Ægiptius mathematicorum pertiſſimus fuit præceptor. Primus omnium Alexander Ariſtotelem anteà viris doctis magis laudàtum, quàm intellectum, commentarijs tanta auctoritate illuſtravit, ut Ariſtoteleus haberetur nemo, qui non eſſet Alexandreus, unde peculiarem quaſi ſectam conſtituit, cujus ſectatores Alexandrei dicti ſunt. Quod quamquam Scaligero bilem movet Exercit. cccvii, ſect.2. multorum tamen judicium illud eſt, ex omnibus Ariſtotelis interpretibus, legendum maximè Alexandrum, quippe qui non ſolùm omnium is interpretum antiquiſſimus (namHerminus qui antiquior, paucis exeptis fragmentis, perijt nobis) ſed etiam Ariſtotelis ſententiam maximè ſequitur, ac optimè defendit Hoc enarrato-

ratore multorum ſtudia exarſêre ad alia in eo philoſopho inveſtiganda, quæ à Theophraſto veteres latuêre ejus ſectæ alumnos. Vixit Alexander temporibus Severi Imper. & F. ejus Antonini circa annum Chriſtianum ccx. Quare paupaulum præceſſit ſummos illos Academicos Origenem atque Plotinum. Quem deinde ſecutus eſt

Themiſtius Chriſtianus cognomento *Euphrades*, qni etſi abbreviator à quibuſdam creditus ſit Alexandri Aphrodiſienſis, falſò tamen, nam & ab eo diſſenſit haud timidè cum collibuit,& ab ordine ac ſerie ejus evariat. Præceptorem ſuum vocat D. Auguſtinus libro de Categorijs cap. XXII, quod eſt concluſio operis. Vixit Conſtantis, Ioviniani Valentis, Valentiani Imperatorum temporibus, ad quos etiam orationes ejus extant.

Olympiodorus Alexandrinus memoratns Suidæ philoſophus peripateticus fuit. Claruit circa annum Chriſtianum CCCCLXXX, nempe Leonis, & Zenonis Imper. temporibus.

Simplicius Phrix diſcipulus Damaſcij philo-

philoſophi stoici, peripateticus fuit. ut præclara ejus in Ariſtotelem monumenta declarant. Floruit ſub Iuſtiniano, qui imperare cœpit an. Chr. 527 Quo tempore, &

Ioannes Grammaticus cognomento *Philopponus* vixit, inter quos mordaces controverſiæ interceſſerunt. Quare non ſub Phoca Aug. Ioannes Grammaticus claruit, ut Nicephorus ſcribit lib. XVIII. Eccleſiaſt. Hiſtor. cap. XLVI, qui imperare cœpit an. Chr. 602.

Sed te ne hic ego *Boëti* Romanorum nobiliſſime præteream, ingrato ſilentio involvam? Te qui primus Latinorum fuiſti, qui manibus Ariſtotelem vix cognitũ tradidiſti? Te, cui tantũ tibi Ariſtoteles debet quantum cuique Grȩcorum, quod Athenis adoleſcẽs cœteris unũ prȩtuleris ſectis, uni te illi addixeris totum, ejus & Latinitate donaveris libros, & doctiſſimis cõmentarijs enarraveris, illuſtraveris? Te, cui omnes, quicunque philoſophiam, Mathematicam, Muſicam, Arithmeticam, cœteraſque humanas colimus diſciplinas tantum debemus? Sed quid dico humanas? Adde

divinas

divinas. Summam ipſam ſcientiarum omnium Reginam, & matrem ſacram Theologiam. Quis enim te, vel in dialecticis acutior, vel in mathematicis ſubtilior, vel in philoſophia locupletior, vel in ſacra doctrina ſublimior? Quid tam exellens, tam illuſtre, quàm quod merueris habere non ſolùm juniores philoſophos longè omnium perſpicaciſſimos, ſed Aquinatem Thomam divum hominem, Magnumque illum Thomæ præceptorem (Deus bone quos viros) enarratores? Deficeret profecto nobis hîc tempus, ſi tanti viri laudes vel perſtringere animus eſſet. Adeat, qui plures Marcum Aurelium Caſſiodorum Variarum lib. pr. epiſt. XLV; & lib. 2. epiſt XL. ex ipſo qui quantuſque vir *Severinus Boëtius* clarè ediſcet. Fuit item alter

Boëtius ſecta peripateticus, cujus meminit Porphyrius in Prædicamenta, & in vita Plotini. Porphyrij ætas diverſum oſtendit ab Severino Boëtio. Senioris hujus meminit etiam Dexippus Iamblici diſcipulus: & valdè adducor, ut credam Boëtium hunc illum ipſum eſſe,

eſſe qui, Straboni Boëthus ſcribitur lib. XVI Geograh. patria Sydonius, cum quo Strabo Ariſtotelica ſcribit philoſophatum, cujus FR. Diodotus. Quare cùm Strabo vixerit Tiberij ævo, ut ex ipſomet diſcimus Strabone, tum lib. VI. in fine, cùm lib. XIII dicente: *Tiberij autem Cæſaris providentia, qui noſtra ætate rerum potitur*, & Boëtij tempus ruſpamur. Fuit & alter *Boëtius*, ſive *Boëthus* patria Sydonius, ſecta stoicus memoratis antiquior, cujus meminit Cicero lib. pr. de Divinat.

Iis ergo alijſque ſectæ peripateticæ vita functis clariſſimis viris, proſcripta fuit majeſtas literarum, & præcipua utilitas, quam ipſæ in Reſpublicas invehebant miſerabili fato ſublata, in cujus locum barbaries ſucceſſit; Græcia ſiquidem diruta, illa Græcia, illo Muſarum domicilio, Roma non ſemel vaſtata, Italiaque everſa, ac planè dilapidata, ingruentibus barbaris, quis literis locus, quis doctoribus, profeſſoribus cultus, quis honos? Adde non ſolùm Philoſophiam conticuiſſe, defeciſſe, verùm ingruentibus barbaris, infinita propè

pè doctiſſiorum virorum antiqua monumenta perijſſe. Nam circa annum Chriſtianum CCCCLXXIII ſub Zenone Imper. Muſæ magnum detrimentum in Græcia ceperunt Nam Conſtantinopoli centum vigenti millia librorum incendio periêre; inter quos.opera Homeri inſcripta inteſtinis draconis, longis CXX.pedes,aureis literis. Quare collectis ſarcinulis ſuis Philoſophia Alpes tranſvolare coacta eſt in Gallias, Germaniam, Angliam, Hiſpanias, & præcipuè apud Mauritanos, qui non tam Cordubam in Bœtica, quàm univerſas ferè Hiſpanias occupabant; atque adeo ibi philoſophiæ ſtudia vigere, florere cœperunt. Quos penes & Ariſtoteles fuit, & Theophraſtus, & Alexander, & Themiſtius, Hippocrates, atque Galenus cum optimis quibuſque enarratoribus Græcis. Quo factum eſt, ut multi ſummo ingenio parique doctrina præſtantiſſimi evaſerint, ut *Avicenna* Arabum omnium Theologorum facile princeps, *Avicembron* Maurorum.

Avicenna quidem aliqui eam inter Ariſtotelis interpretes laudem attribuunt,

buunt, ut eo nullus ſit meliùs Ariſtotelis mentem aſſecutus; cui adeo addictum fuiſſe ſcribunt, ut totam ejus metaphyſicam memoria tenuerit. Benedictus Pererius præfatione in ſuos de principijs, & affectionibus rerum naturalium libros ita de Avicenna judicium fert *Inter Arabes ſuos quoque amatores, & ſectatores habet. Quem ego in Philoſophia, nec magnoperè laudo, nec planè contemno. Fuit is præſtantiſſimus medicus; fuit etiam (quorundam judicio) peracutus methaphyſicus, ſed cum doctrina Ariſtotelis (quam omnibus Philoſophiæ ſtudioſis maximè probatam & cognitam eſſe oportet) nec valdè ſtudioſum, nec admodum intelligentem conſtat.* Ejus medicã habemus, quã quinque complexus eſt libris, facultatem, in qua quidem tradenda methodo, ac ordine optimo eſt uſ s, ut hac parte Galenum anteeat, ut multorum ſententia eſt.

De *Averroë* multa eſſent dicenda, quoniam de eo varia multùmque diſcrepantia hominum judicia eſſe video. Paucis tamen, quæ de eo dici poſſent, abſolvam. Is in omnem Ariſtotelis philo-

philoſophiam commentarios ſcripſit, qui aliquibus tantæ auctoritatis, tantique ponderis ſunt, ut tanquam philoſophiæ Deo planè aſſurgant; unum illum præ cœteris maximè ſuccipiant, venerentur, ac colant; cujus ſectatores Averroiſtæ dicuntur. Superiori ſeculo, auctore Paulo Iovio lib. XXXIV, & lib. XLIV Hiſtor., Muleaſſes Tuneti Rex Philoſophiæ Averroiſticæ adeo peritus fuit,ut vix parem habuerit. Cum Philoſophis Italis de natura univerſi, motu cœli, poteſtate ſyderum, diſputavit. Et antè ex Archangelo Gianio Florentino habemus cent. 2. Annal. ſerv. lib. pr. cap. 3. ad annum 1334 & 35. Vrbanum quendam patria Bononienſem floruiſſe, qui in doctrina Averroiſtica adeo profecit, ut per quandam excellentiam ab omnibus Averroiſta appellaretur. Primariam Philoſophiæ cathedram in patria habuit urbe, Commentarios ſuper Averroëm in VIII Phyſicorum libros vulgavit, quos ipſe adoleſcens & vidi & pervolutavi. *Ego* inquit Pererius loco cit., *ſicut eos non laudo, qui Averroëm faſtidioſè contemnunt, convicijs*

H

lacerant, & veluti peſtem ingeniorum, omnibus fugiendum eſſe clamant; ſic contrà, quoſdam eſſe, qui eum laudibus incœlum efferant, & quaſi Deum quendam Philoſophiæ colant, ejúſque ſententias tanquam oracula divinitùs edita in veneratione habeant, graviter doleo, moleſtéque fero Vtrumque profectò in vitio eſt: ſed illud minùs; habet enim vel excuſationem ignorantiæ, vel etiam ſpeciem quamdam, & umbram pietatis, atque religionis: hoc autem cuivis Philoſopho, turpe eſt; Chriſtiano autem Philoſopho etiam infame. Quid enim turpius, quàm unius hominis, qui labi potuit, & verò in rebus magni momenti non ſemel lapſus eſt, decreta omnia pugnaciter defendere, mordicus tenere, & quaſi tempeſtate delatos, ac ejus doctrinam tamquam ad ſaxum aliquod adhæreſcere? Quid fœdius? quàmmultas Averrois ſententias, &, quæ vocant, commenta, tertio quoque verbo uſurpantes ſe ſe jactare, & in his puerilibus nugis, primas ſapientiæ ſuæ partes collocare? Sed dicent, Averroëm fuiſſe acri ingenio, judicio gravi, & ſingulari ſtudio, ac diligentia; multa ſubtiliter, &

docte

doctè ſcripſiſſe; omnes penè libros Ariſtotelis, eruditis commentariјs illuſtraſſe; denique de Peripatetica diſciplina eſſe optimè meritum. Sint iſta, ut dicunt: negari tamen non poteſt, Averroëm interpretando Ariſtotelem *ob ignorationem linguæ Græcæ, mendoſoſque codices, & bonorum interpretum penuriam multifariam hallucinatum eſſe. De rebus quoque naturalibus, humanis, & divinis opiniones eum habuiſſe certum eſt, cõplures quidem falſas, quaſdam verò etiam impias, & abſurdas.* ut videre eſt apud Franciſcum Toletum in præfatione ſua ad lectorem in libros VIII. Phyſicorum. Graviſſimas exercuit cum Avicenna contentiones, & quamvis uterque ſe Ariſtotelis ſectatorem profiteretur, nihil tamen, quod ab altero diceretur, rectum putabant. Cordubæ Averroem, quæ patrium ſibi ſolum, principem fuiſſe ferunt. Floruit, ut ſuprà anno ab orbe redempto MCL; ut Conciliator ſcribit, & in quodlibetis Ægidius Romanus, Auguſtinus Niphus lib. 3. de Anima prodit Averrois præceptorem Avempacem fuiſſe, Abubacherque ſocium.

Præterea Arabum Philoſophorum memorantur illuſtres, *Algazel*, *Beribitar* atque *Sifac*. *Iſaac Narbonenſis* atque *Abumaron Babylonius*, *Moyſes Ægiptius Maumet Toletinus*, quorum meminit Ioannes Picus in CM. concluſionibus, ut pote qui ad eorum aures aliquas defendendas propoſuerit. Medicorũ *Ioannes Meſue*, *Raſis*, qui *Almanſor*, *Serapion*, *Zoar* cognomento ſapiens, qui cum Avicenna in cuſtodia quandoque fuiſſe teſtatur.

Aſtrologiæ peritiſſimi *Machometus Aratenſis*, ſive *Albategnius Arabs*, *Albumazar*, vel *Alboaſar*, ut Pico magis placet, *Gebber* cujus hodie ſcripta de Alchymia magni momenti eſſe Hornius ſcribit lib. VI Hiſtor. Philoſoph. cap X. *Magnus Alpharabius*, qui in Haram Meſopotamiæ, libris Ariſtotelis, de Phyſico auditu inventis, quadragies perlegit, eiſque ſuperſcripſit: *Vellem iterum legere*, ut ſcribit G. Sionita cap. 2. Arabiæ. *Alfraganius*, *Haly*, *Rhodoam*, *Arzahel Hiſpanus*, *Thebitius Benchora*. Qui omnes, & alij ingenij ſui monumenta literis conſignarunt, ſectatoreſ-

reſque habuêre Arabas, Perſas, Surrianos, Africanos, Hiſpanos; et ſi nos cùm ob idiomatis ignorantiam, tum ob religionis diverſitatem illorum aliquammultos latuerint. Ioannis Pici Mirandulani de Arabum Philoſophis judicium eſt in Apologia pro CM. theſibus: *eſt* inquit, *apud Arabes in Averroë firmum quiddam, & inconcuſſum in Avempace, in Alpharabio grave, & meditatum, in Avicenna divinum, atque Platonicum.* Quos tamen doctrina, & eruditione (ut numero) ſi, vel cum Græcis, vel cum Latinis conferantur, longè reperiri inferiores, ait loco citato Cardinalis Toletus; & eſt communis doctorum ſentẽtia. Ab his iterũ ad Europęos divertamus. Circa annum 1059. Pariſijs prodijt

Petrus Abelardus philoſophus peripateticus doctiſſimus, & magni nominis vir Dialecticus cognominatus. Is primus dicitur Philoſophiam cum Theologia miſcuiſſe. De eo Trithemius agens inquit: *ab hoc tempore Philoſophia ſæcularis Theologiam ſua curioſitate inutili fœdare cœpit* De eo & alijs, qui eandem rationem iniêre, & ineunt quidam dam-

natæ memoriæ doctor in lib. de Verbo Dei ſcripto, judicium ejusmodi tulit: *Scholaſticos illos ob Philoſophiæ cum Theologia confuſionem, dicendos potiùs Philoſophos, quàm Theologos.* Quos tamen (quicquid alij contrà) Ioannes Duns Scotus excuſat in 3. ſent. diſtint. xxiv. q. pr. dicens non ſine hoc fieri fructu: *Scholaſticos doctores* (Scoti ſunt Verba) *tandem Theologiam cum Philoſophia maximo cum fructu miſcuiſſe.* Quæ quidem non omnibus placet philoſophandi, & theologizandi ratio; unde hinc anſam arripuêre quamplures in ſcholaſticos invehendi, ut apud multos ſcriptores præſertim extra Italiam, videre eſt. Et quando cœteri deficiant lectorem ſcriptores, lutulentum ſatis abundè hoc argumentum verſat Ioannes Lodovicus Vives in commentariiS ſuper lib. D. Auguſtini de Civitate Dei; in quibus centies planè illos carpit, & vexat. Hic Petrus Abelardus ab Orthodoxis in quibuſdam aberrans, coacta in Galliis Synodo à Lodovico Rege hujus nominis VII. auctoritate Lucij 2. ſummi Pontificis, rationibus victus, non modo ſententiam mutavit, ſed & vitæ ratio-

nem: nam monaſtica vita electa, in ea deinceps ſanctiſſimè vixit. Cùm ecce tibi ſeſquiſæculnm poſt naſcitur

Albertus natione Germanus, cognomento *Magnus* (doctiſſimus Iulius Sirenius lib. 2. de Fato cap. VI. & lib. 3. cap. 3. ait: *Albertus cognomento* MAGNUS, *vel potiùs Alemannus*) vir ſummi ingenij, admirandæ induſtrię, nullique ſuo tempore in Philoſophia ſecundus, Trithemio teſte. Quas laudes voto ſuo firmat Scaliger vir Magnus, & undecunque doctiſſimus. Quem Magnum & Divum dixêre tum propter ſcientiarum ejus encyclopædiam, cùm propter ſingularum vitæ ejus, qua maximè fulſit, morum probitatem, & ſanctitatem: *Deferebat MAXIMI cognomentum* (inquit in Muſæo Iovius) *Gymnaſiorum omnium conſenſus, niſi publico voto, Chriſtiana verecundia ipſe reſtitiſſet.* Coloniæ deceſſit anno ſal. 1280, æta,is an. LXXXVII; cujus vitam Antonius Flaminius luculenter ſcripſit lib. 3. de Viris Illuſt. Ord. Prædicatorum. Ab eo prima Scholaſticorum ſecta, que Albertiſtarum, initium ſumpſit. Alberti auditor, & antè

Alexandri de Ales, (qui terris exceſſit anno gratiæ 1245, v. Kal. ſeptembris.)

Thomas Aquinas lumen, & Doctor Ecclesiæ: cujus doctrinam, veluti cœlo delapſam, Eccleſiæ omnes, ſacra Concilia, ſcholæ univerſæ admirantur, ſuſcipiunt, & colunt. Qui ſecundæ ſcholaſticorum ſectæ, quæ Thomiſtarum, nomen dedit. Quibus doctoribus, enarratoribus incredibile quantum Ariſtotelica doctrina extulerit caput, ſplendoris, decoris ſit aſſecuta. Inficiari enim poterit nemo D. Thomam digniſſimum omnium nedùm Latinorum, verùm Græcorum, qui in Lyceum aſcribatur, interque primores habeat locum. Quis enim quæſo D. Thoma doctior, quis acutior, curioſor, quis eo uberior, & (quod rei caput eſt) clarior? Quamplurima ſcripſit; inter ea ſumma Theologiæ maximè eminet, cujus tanta ſemper fuit æſtimatio, ut non ſolum Græci in ſuum ſermonem converterint, ac ſtudioſè legant, teſte D. Chytræo de ſtatu Eccleſ. in Græcia, verùm etiam Arabes, & Sinenſes; & quidem magna cum utilitatis, acuminiſque illius admiratione.

Poſt

Poſt Albertum, & Thomam ſolemne emerſit ingenium *Henrici Gandavenſis,* qui aliam à ſuo nomine inſtituit ſcholam. De ejus ingenij præſtantia multa ſunt clariſſimorum virorum teſtimonia. Vno hic Trithemij Abb. de ſcriptoribus Eccleſiaſticis ſub anno Domini 1293. contenti erimus. Cœtera in unum congeſta ceu faſcem habes apud Hieronymum Scarparium Ferrarienſem præfatione ſua ad Doctores, & Auditores doctrinæ Henrici, quæ initio legitur primæ partis ſummæ. Et præ cœteris conſulendus eſt Gerardus Ioannes Voſſius de Hiſtoricis Latinis lib. 2. cap. LX. Trithemius ergo inquit: *Henricus de Gandavo Archidiaconus Tornacenſis, natione Theutonicus, vir in divinis ſcripturis inter omnes doctores ſui temporis eruditiſſimus, & in Philoſophia Ariſtotelica valde ſubtilis, tantæ opinionis, & auctoritatis in Gymnaſio Pariſiorum extitit, ut Doctor ſolemnis per univerſum Chriſtianum orbem vocatus ſit. Erat ingenio ſubtilis, & in diſputationibus ſcholaſticis acutiſſimus, quod præclara ejus teſtantur opera.* Archangelus Piccionius Venetus, cujus opera Aurea

Henrici Quodlibeta fuerunt Venetijs recuſa anno 1613 vitam Henrici à ſe ſcriptam eis præfixit. In ea Henricum habet Alberti Magni auditorem Coloniæ fuiſſe. Quod idem porrò repetiit Hieronymus Scarparius anno 1646. loco modo citato, nec dubium, quin ex eodem hauſerit Piccionij fonte Scarparius. Cœterùm cùm teſtem nullum, nullum dicti ſui ſponſorem exhibeat, ſed ut tanto magiſtro, qui Albertus, Henrici velificetur honori, morus ego ſi ejus ſententiam quicquam morer. Apageſis fabulator: hoc de capite tuo. Sed alibi commodùm larvam detractam imus morioni. Ex Henrici ſchola, & diſciplina prodiit

Ioannes Duns Scotus, quo in graviſſimis Philoſophiæ, ac Theologiæ ſtudiis, nec acrior ullus, nec ſubtilior fuit, ut ejus admirandæ commentationes luculenter oſtendunt; qui & ipſe novam de ſuo nomine condidit ſectam. Quod autem Henrici fuerit Scotus auditor, Marſilius Ficinus haud obſcurè docet comment. in cap. VIII. lib. 3. de ſubſtantijs cognoſcentibus, Plotini, Ennead. v. illis ver-

verbis: *Iam verò, & Avicenna, & Henricus Magnus Scoti præceptor natura Platonicus intellectuales formas in intellectu, vel anima, ſive ingenitas illi, ſive huic acquiſitas non tam modò characterum, quàm habitus cujuſdam naturalis ineſſe putant. Quo quidem habitu animus ad hoc, vel illud facilè ſe ſe vertat.* Quæ ſingula Ficini conſultò attuli verba, ut planè lector cognoſcat de Henrico Gandavenſi loqui Ficinum, ut ex Paradoxo VI. Henrici Antonij Burgi apertè colligitur. Aliqui cenſent Ioannem Dunſium Scotum D. Thomam præcipuè ſibi impugnandum ſumpſiſſe, & quidem tanta ſubtilitate, ut in illo ſcholaſtico dicendi genere, nihil acutius, nihil accuratius, nihil abſolutius ſit, Cœterùm Matthæus Ferchius Veglenſis in Celeberrima Patavina Vniverſitate Profeſſor, in Apologia pro Scoto lib. 3. n. 12. ſecùs planè ſentire videtur dicens: *Præterea Scoti Antagoniſtæ ſpeciales fuere duo: Scotus enim ſe Henrici Gandavenſis, & Gulielmus Ocham ſe Scoti conſtituit Antagoniſtam.* Evolvant quibus per otium licet Dunſiana volumina reipſa invenient impugnari qui-

dem Angelicum Doctorem à ſubtili, ſed hoc ferè præter intentum: at in Doctorem Solemnem Henricicum omnes ingenij ſui nervos intendere. Conflictatur cum Henrico Ioannes, illius, quæ ſibi maximè arriſêre, ſententias ubi hauſit, ut de actu entitativo materiæ, de identitate reali animę cum potentiis, de diſtinctione Spiritus ſancti à filio, ſi non procederet ab eo, & ejuſmodi aliis; cœteras pro viribus rejecit, atque exploſit. Et quem pridem doctorem, præceptorem habuerat, non erubuit porrò, ut Ariſtôteles Platonem, ingratitudinis calcibus petere. Niſi dicere malumus, turpe Scotum duxiſſe virum ſubtiliſſimi ingenij, & acri judicij lima præditum, alienis fontibus hortulos ſuos irrigare, cùm ſuis poſſet abundè. Nempe legerat apud Origenem Gen. xxvii. ſuper illud, ſenuit autem Iſaac. *Tentemus facere illud, quod ſapientia commonet dicens: Bibe aquam de tuis fontibus, & de tuis puteis, ut ſit tibi fons tuus proprius. Tenta ergo & tu auditor habere puteum proprium, & fontem proprium, ut & tu eum apprehenderis librum ſcripturarum, incipias etiam*

ex-

ex proprio ſenſu proferre aliquem intellectum, & ſecundum ea, quæ in Eccleſia *didiciſti, tenta & tu bibere de fonte ingenij tui. Eſt intra te natura aquæ vivæ, venæ perrennes, & irrigua fluenta rationalis ſenſus, ſi modò non ſunt terra operta. Sed ſatage terram tuam fodere, purgare ſordes, id eſt, ingenij tui amove deſidiam, & torporem cordis tui excute. Audi quid dicit ſcriptura: punge oculum, & producet lachrymam: punge cor, & proferet ſenſus. Purga ergo & tu ingenium tuum, ut aliquando etiam de tuis fontibus bibas. Si enim accepiſti à Chriſto verbum vitæ, & fideliter accepiſti, fiet in te fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Vide alia in hanc eandem mentem apud Henricum in ſumma p. pr. art. VIII.q.VI. n. XIV. & multò antè idem planè ſcripſerat Lactantius lib. 2. divinarum Inſtit. cap. VIII. & lib.3. cap. XIII, & XXIV. & lib. V. cap. XX. Seneca libro de vita beata cap.1. & 2. & qui hos omnes longè præceſſit Cicero lib. pr. de natura Deorum. Sed quid mirum Scotum ſe Henrici Antagoniſtam conſtituiſſe, ac pro viribus præceptoris ſui doctrinam oppugnaſſe? Nimirum Herculem nactus cum quo dignè

gnè congrederetur, ingenij ſui vires experiri voluit. *Facerem* (reſpondit Alexander Philippo patri hortanti, ut cùm levitate corporis, ac pedum celeritate maximè polleret, in Olympiis ſtadium decurreret) *facerem*, inquit, *ſi Reges habiturus eſſem concertatores.* Oppugnavit, ut diſputatrix Theologia redderetur candidior. Siquidem diſputationibus, quæ animo fiunt pacato, atque tranquillo citrà iracundiam, & clamores ad veritatem venandam, non ad captandam gloriolam, veritas maximè eliqueſcit. *Equidem maledicta* (Cicero lib. pr. de Fin.) *contumelia, tùm iracundia, contentiones, concertationéſque in diſputando pertinaces, indigna mihi philoſophia videri ſolent.* Etiam in Muſicis placent Organa, quæ ſubmiſſa ſunt, & ſuavia veluti tibiæ & citharæ, fiſtulæ. Sed de hac re vide Ciceronem loco citato. Lucianum in Bis Accuſato. D. Auguſtinum lib. 2. ſolilòq. cap. VII. Gregorium Nazianzenum oratione de modeſtia in diſputationibus ſervanda. Ioannem Franciſcum Picum in vita Ioannis Pici patrui. M. Antonium Nattam de Deo lib. 2.

Quibus

Quibus nihil amplius addo, cùm, & Albertus, & S. Thomas, & Henricus,& Doctor ſubtilis, quampluresque alij, qui hos conſecuti ſunt, doctiſſimi viri, inter ſcholaſticos potiùs, quàm inter Peripateticos locum planè nãſciſcantur. Sanè doctrinæ eorum ratio peculiarem Magiſterij ſucceſſionem exigere videtur; quam (ſi hæc ad guſtum) dabimus olim uſque ad tempora noſtra deductam. Interim quod de Alberto, D. Thoma, Henrico, Scoto, aliiſque, qui inter Scholaſticos maximè floruêre illuſtres judicium tulerit Ioannes Picus Miradulanus vir extra omnem ingenij aleam doctiſſimus, vel parerga hîc opera, non gravabor attexere, ut planè ſuperioribus reſpondeam, in quibus idem de Philoſophis quà Græcis, quà Latinis, & Arabis præſtiti. Igitur in Apologia pro CM theſibus, cum dixiſſet anguſtæ mentis eſſe intra unam ſe Porticum, aut Academiam continuiſſe, nec poſſe quemquam ex omnibus ſibi rectè propriam ſelegiſſe, qui omnes priùs familiariter non agnoverit, continuò ſubjungit: *Adde, quod in unaquaque familia eſt aliquid inſignè*

inſigne, quod non ſit ei commune cum cæteris. Atque, ut à noſtris ad quos poſtremò philoſophia pervenit, nunc exordiar. Eſt in Ioanne Scoto vegetum quiddam, atque diſcuſſum. In Thoma ſolidum, & æquabile. In Aegidio *terſum, & exactum. In Franciſco acre, & acutum. In* Alberto *priſcum, amplum, & grande. In Henrico, ut mihi viſum eſt, ſemper ſublime, & venerandum.*

Ab his porrò, & ab anno MCCC. ma. etiam Philoſophorum Peripateticorum manus emicuit, quæ cùm præcipuam exigat, & quidem maximè longam, lucubrationem, ſecundo huic libro coronidem hîc imponere lubet. Et ad Socraris reliquos, qui maximè ſectas condidêre, auditores, ſermonem convertere.

DE
MAGISTERIO
ANTIQVORVM
PHILOSOPHORVM
LIBER TERTIVS.

CAPUT PRIMUM.

DE
MAGISTERIO ANTISTHENIS Athenienſis, A Qvo Cynici Initivm Svmpsere.

ANtisthenes qui Ciceronis teſtimonio lib. xii. epiſtolarum ad Atticum, homo fuit acutus magis, quàm eruditus, Gor-
giam

giam Leontinum oratorem audiit primùm, deinde ex rhetore philoſophus evaſit Socraticus, quippe qui Socrati ſeſe totum planè addixerit. Quo quidem doctore mirum quantum ille profecerit, nimirum Laërtius libro ſecundo ait: quod exiis, qui ſucceſſêre Socrati, literarúmque laude maximè præſtitêre, & appellantur Socratici, nobiliſſimos fuiſſe Platonem, Xenophontem, & Antiſthenem. Sectam inſtituit Antiſthenes Cynicam, princepſque fuit in ea. Cicero lib.3. de Oratore: *Ab Antiſthene, qui patientiam, & duritiem in Socratico ſermone maximè adamavit, Cynici primùm deinde Stoici.* Denominationem porrò ſortiti ſunt ſectatores, vel à Cynoſarge Gymnaſio, in quo Antiſthenes profitebatur, quod à candido cane nomen accepit. Quam Laërtius innuit denominationem lib. 2. dicens: *Docebat Antiſthenes in Cynoſarge Gymnaſio haud procul à portu, unde & Cynicam ſectam dictam ſunt, qui opinentur.* Vel à Canina mordacitate, qua in hominum mores nullo habito diſcrimine invehebantur. Qua mente Horatius lib. pr. epiſt. XVII. ait:
námque

——— ————— ——— ——— —— *námque*

Mordacem Cynicum ſic eludebat (ut ajunt)

Scurror ego ipſe mihi, populo tu.

unde & Canina facundia, & canina verba dicta ſunt. Plautus in Menæchmis act. v. ſc. I.

Non tu ſcis, mulier, Hecubam quapropter canem

Graij eſſe prædicabant? non equidem ſcio.

Quia idem faciebat Hecuba, quod tu nunc facis:

Omnia mala ingerebat, quémque aſpexerat.

Itaque adeo jure cœpta appellari eſt canis.

Quin propter hanc animi acerbitatem, & rabiem fingitur in canem eſſe converſa. Iuvenalis ſat. x.

——— ——— ——— ——— *ſed torva canino*

Latravit rictu, quæ poſt hunc vixerat, uxor.

ejúſque effigiem canis forma pingi ſolitam, canémque eidem immolatum ex veterum lectione notavit Fridericus Taubmannus ad locum Plauti citatum; ſicut

cut & ejuſdem ſepulcrum Cynoſſema vocatum Plinius auctor eſt lib. 4. hiſtor. natur. cap. x. Strabo lib. xiii. Geograph. Vel ab eo, ut aliis magis placet, denominationem ſumpſit, quod canum more redderent publico obſæna ſine pudore, operam liberis dantes: ut de Cratete, & Hipparchia narrat Laërtius. Quò quidem reſpexit Lactantius lib. 3. divin. Inſtit. cap. xv. *Nam quid ego de Cynicis loquar? quibus in propatulo coire cum conjugibus mos fuit. Quid mirum, ſi à canibus, quorum vitam imitantur, etiam vocabulum, noménque traxerunt?* Et eadem mente loquitur D. Auguſtinus lib. xiv. de Civit. Dei cap. xx. quo loci vaniſſimam Cynicorum turpitudinem pluribus inſectatur, & deteſtatur. Sextus Empiricus lib. pr. Pyrrhon. cap. xiv. inquit Cynicos Philoſophos canis cognomine exiſtimaſſe ſe ſe commendare, atque adeo ejuſmodi nomen, & laudabile, & honorabile eſſe; Canis ſiquidem maxima præditus eſt ſagacitate; unde commoda appetit; incommoda vitat, mala agnoſcit, & lenit: memor præterea, & gratus, animoſus, & malis infeſtus. Atque hac qui-

quidem ratione, inquit Empiricus, qui à cane philoſophi Gynici denominationem ſumpſêre, ac ſunt appellati, maximè quidem ſe commendarunt. Cynicis cultus planè ruſticus, agreſtis, & vilis. Sed qualis, quantáque illis ſuppellex? Quàm brevis & arcta? Pera, baculus, pallium. Apulejus lib. 2. Florid. *Crates peram cum baculo, & pallium humi cum poſuiſſet, eámque ſuppellectilem ſibi eſſe profiteretur.* Plautus in Perſa act. pr. ſc. 3. nounihil dilatare videtur.

Cynica eſſe è gente oportet paraſitum probè:
Ampullam, ſtrigilem, ſcophium, ſoccos, pallium,
Marſupium habeat,

Auſonius in Epigram.

Pera, polenta, tribon, baculus, ſcyphus, arcta ſupellex
Iſta fuit Cynici, ſed putat hanc nimiam.
Námque cavis manibus cernens potare ſubulcum
Cur ſcyphe te dixit, geſto ſupervacuum?

Vnde ſanè eleganter Apulejus. Diogeni, & Antiſtheni pera, & baculus, quod Regibus Diadema, quod Imperatoribus palu-

paludamentum, quod Pontificibus galerum, quod lituus Auguribus. Sed quod illis domicilium, quæ ſedes? Audi Iuvenalem ſat. xiv.

——— dolia nudi
Non ardent Cynici: ſi fregeris, altera fiet.
Cras domus: aut eadem plumbo commiſſa manebit.

Xenophon, qui Antiſthenis ſub Socrate condiſcipulus fuit, literis prodit, Antiſthenem ſuaviſſimum in colloquio fuiſſe, cœtera continentiſſimum. Sanè in eo multarum virtutum exempla fulſêre, fuêre, quibus, ut ſe ſectarentur quamplures allexit, & traxit auditores, & quidem Diogenem Synopæum, qui tanto eum audiendi deſiderio flagravit, ut cùm baculo Antiſthenes eum repelleret, ſubjecto capite dixerit: *Cade, non enim ita durum baculum reperies, qui me abs te, quandiu aliquid dixeris arcere poterit.* Laërtius lib. vi, & D. Hieronymus lib. 2. contra Iovinianũ. Cui quidem tranquillitatis, ut Crati continentiæ, Zenoni tolerantiæ; dux fuit. Ab eo Cynici primùm, deinde gravioris ſectæ alumni ortum

ortum duxêre. Cicero lib. 3. de Oratore: *Ab Antiſthene, qui patientiam, & duritiem in* Socratico *ſermone maximè adamavit, Cynici primùm, deinde Stoici.* Atque adeo magnam inter ſe Stoicos, & Cynicos affinitatem habuiſſe teſtatur Laërtius lib. VI, & VII. *Societas quædam eſt inter Cynicos, & Stoicos: unde & Cyniſmum dixêre brevem ad virtutem viam.* Iuvenalis ſat. XIII.

Et qui Cynicos, nec Stoica dogmata legit
A Cynicis tunica diſtantia.

Porrò inter Antiſthenis auditores

DIOGENES SYNOPÆVS

cognomento Cynicus maximè celebris fuit, qui ſenex erat Olymp. CXIII. Laërtio doctore. Plura de eo comminiſcuntur ſcriptores, quæ quia huic loco prorſus aliena, lubens omitto. Eubulides Mileſius Socratis, ac Diogenis vitam conſcripſit, ut aliqui tradunt. Et quidem Eubulides Laërtio citatur lib. VI. in Diogene, in primo de Diogene. Sectatores illi Oneſicrites Æginenſis, ſeu Aſtypaleenſis cum duobus filiis Androſthene, & Philiſ-

co.

co. Fuit autem Oneſicrites in comitatu cum Alexandro Magno, cujus juſſu, & Indiæ Sophiſtas adiit, ac cum Calano locutus eſt nobili philoſopho, de quo Strabo lib. xv. Et videtur Oneſicritus Xenophontis æmulus fuiſſe; nam ſicut ille Cyri pædiam ſcripſit, ita hic Alexandri tyrocinia proſecutus eſt. Philiſcus autem, qui, Hermippo auctore, Stilponis auditor, literas docuit Alexandrum Magnum, ſi fides Suidæ. Monimus Sytacuſanus Diogenem item audivit, ac Cynicum Cratem. Stilpo Megarenſis philoſophus acutus, & probatus temporibus illis, ut de Fato Cicero ſcribit. Phocion cognomento bonus. Menander, qui dictus eſt Drymus Homeri admirator. Ægeſeus Synopæus. Anaximenes Lampſacenus ſenior Ariſtoclis F. orator, qui Alexandri Magni fuit præceptor, ejuſque in expeditionibus comes; alius planè à juniori, qui Alexandri Magni geſta conſcripſit, Oratoris ex ſorore nepos. Senioris diſcipulus fuit Timolaus Laryſſæus auctore Suida. Sed Dionis inſignior

CRATES THEBANVS

Quem Hippobatus Bryſonis Achivi diſcipulum facit, floruitque circa Olymp. CXIII. Seneca epiſt. X. Stilponis. Cujus auditores Zeno Cyttiæus Stoicorum princeps, & Monimus Syracuſanus, qui, ut diximus, & audivit Diogenem. Menippus Phœnicius, quem Gadarenſem fuiſſe Strabo ſcribit lib. XVI. Eum in ſuis ſcriptis Varro apud Ciceronem teſtatur eſſe imitatum. Que de cauſſa Menippeum appellatum ait Athenæus. Hujus Menippi Lucianus identidem in ſuis dialogis meminit. Cleanthes item, ut ſcribit Heſychius Cratis fuit auditor. Hipparchia, quæ ſibi uxor, de qua plura L. Apulejus lib. 2. Floridorum, ut & de Crate, & maximè lib. 4 & frater

METROCLES MARONITA

Qui, & Theophraſtum audivit: ſe verò Theombrotus, & Cleomenes, qui & ipſi doctores Magiſterij munus obiêre.

CLEOMENES

quidem docuit Timarchum Alexandrinum, & Echeclem Epheſium, qui & audivit Theombrotum, à quo Menedemus Lampſacenus, qui cùm eſſet Idomenæj Epicurej auditor ad Cynicos defecit, ac Theombrotum audivit. Ab hoc Menedemo Cauillatorum hæreſis initium ſumpſit Athenæo auctore lib. 2. Dipnoſoph. cap. XIII.

THEOMBROTVS

verò docuit Demetrium Alexandrinum, quem admiratus eſt, coluitque Seneca, ut VII. de Benef. & de vita beata. Ejus meminit etiam Tacitus cum Laude lib. XIV. Annalium. Quem Menippus Lycius audivit Philoſtrato teſte in vita Apollonij lib.4. cap. VIII. Quo loci etiam narrat, ut diſcendi cauſſa Apolloniū Demetrius ſectatus fuerit, ſicut olim Socratem Antiſthenes.

Quibus recenſitis ſeries deſideratur, quæ ulteriùs procedat. Cœterùm nec diu

diu, nec admodùm floruit Cynicorum ratio, cum enim fuerit inimica verecundiæ, ſine qua nihil rectum eſſe poteſt, nihil honeſtum, ut de offic. Cicero inquit, quì diutius ferenda? Nimirum Sydonij ævo vix Cynici ſupererant, ut ex verbis ejus liquidò conſtat:

Excluſi propè jam Cynici vix limine reſtant.

floruit autem ex Gennadio Sydonius ſub Leone, qui imperare cœpit in Oriente anno CCCCLXXV. D. Auguſtinus, qui natus eſt anno ſalutis circiter CCCLIV. ſub Conſtantio Imper. Id. Novembr. obiit verò anno ſalutis circiCCCCXXX ſub Theodoſio juniore, & Valentiniano 3. Cynicos ſua ætate fuiſſe ſcribit lib. XIV cap. XX. de Civitate Dei. *Et nunc videmus adhuc eſſe philoſophos Cynicos: hi enim ſunt, qui non ſolùm amiciuntur pallio, verùm etiam clavam ferunt: nemo tamen eorum audet hoc facere* (videlicet in propatulo coire, de quo inibi ſermo D. Auguſtino (*quod ſi aliqui auſi eſſent, ut non dicam ictibus lapidantium, certè conſpuentium ſalivis obruerentur.*

CAPVT. II.

Alios ſuperioribus Cynicos Philoſophos memoro, quibus haud ſtata Magiſterij ſedes in ſerie.

Inſiſtam, quam à principio inivi, diſpoſitionis rationi, ac poſt eos, qui certum nanciſcuntur in philoſophica ſucceſſione locum, eorum nonnullos, quorum neſcitur, hìc commemorabo.

Iſidorus agmen ducat, qui tranſeuntem Neronem in publico clara, & alta voce corripuit, quod Nauplij mala benè cantitaret, ſua bona malè diſponeret.

Demetrius, & *Diogenes junior* Cynici ambo, quorum ille Veſpaſiano in itinere obviam factus, neque aſſurgere, neque dignatus eſt illum ſalutare, quin oblatrans neſcio quid, ſatis Imperator habuit canem eum appellare; hunc verò ob procacitatem linguæ virgis cædi permiſit.

Carneades non obcuri nominuis Cynicus

cus fuit, ac ſub Domitiano maximè floruit. Ejus meminit in proëmio Vitarum Philoſophorum, ac Sophiſtarum Eunapius. Verba ejus ſunt. *Ea tempeſtate* (videlicet qua Apollonius Thianæus) *fuit Carneades non obſcuri inter Cynicos nominis, ſi modò haberi ratio ulla ſectæ Cynicæ debeat: inter quos erant Muſonius, Demetrius, Menippus, aliique nonnulli: at horum fama illuſtrior.*

Horus Aegiptius philoſophus Cynicus fuit. Memoratur Macrobio lib.pr. Saturnal. Quem gravem, & ornatum virum Euſtathius apud eundem Macrobium loco cit. appellat. Vixit coævus Servij Grammatici Virgilij explanatoris ſub Adriano Principe.

Maximus Alexandrinus, qui ſub Iuliano cognomento Apoſtata floruit, Cynicus fuit. Imperator eum ex Aſia acceſſivit, ut & Priſcum ex Græcia, quibus in Magiæ ſtudijs maximè utebatur.

Creſcens Megalopolitanus, qui ſub Antonino Pio emicuit, Cynicus fuit. Iuſtino noſtri dogmatis philoſopho perſecutionem movit, in qua glorioſè

ille pro Chriſtiana fide ſanguinem fudit.

Heraclitus, adverſus quem Iulianus idem Apoſtata ſcripſit, quo pacto Cynica vita inſtitui deberet, ut prodit Suidas, ſecta Cynicus fuit.

Saluſtius philoſophus Cynicus fuit, cujus meminit Photius in Bibliotheca cap. CCXLII, à quo, & alij ejuſdem ſectæ alumni, memorantur, Hegeſianax, Polyzenus, Theomneſtus, atque Xantippus, quorum præter nomina cœtera intercidêre.

CAPVT III.

DE MAGISTERIO ZENONIS CYTTIÆI, à QVO STOICORVM NOBILIS FAMILIA.

ZEno natione Cyprius ex Cyttio oppido Græcanico, ſed quod Phœnices incolas habuit, Crati primùm in Cynoſarge profitenti adhæſit, quin ante Diogenem Synopæum, Galenum ſi audias in hiſtoria philoſophica, ſive potiùs

tius Ætium, audiverat. At vaniſſimam Cynicorum turpitudinem averſatus ad alios divertit, Stilponem, Xenocratem, Polemonem, teſte Laërtio, ac pr. Academ.quæſt. Cicerone, quin Zenonem Sydonium, ut ſcribit Suidas (ipſe quidem Hippoboto planè aſſentior, qui Sydonium Cittiæj auditorem agnoſcit, ut infrà) Inſuper cum Diodoro Dialectico verſatus eſt, apud quem; & Dialecticæ ſtudiit, ut & cum Philone Dialectico diligenter, & accuratè ſe exercebat. Nec iis contentus longiſſimè diſſitas regiones peregrinando luſtravit, ſi quos inveniſſet, à quibus ſapientiæ quæſtum aliquem faceret. Teſtes ſunt ejus apud Strabonem lib VII. verba:

Æthiopas, Arabáſque adij tunc Sydonióſque.

Sectam inſtituit, quam à Porticu, in quo ille docebat, quæ græcè dicitur Stoa, Stoicam appellavit, quique ab eo ſunt derivati, cum prius Zenonij à præceptore, Stoici à Ludo, hoc eſt à Porticu, quæ Poecila, id eſt varia, dicebatur, ſunt nominati. A Perſius ſat. 3.

Quaque docet ſapiens braccatis illita Medis
Porticus.

& hæc eſt illa Porticus Stoicorum memoratiſſima, quam Chryſippus dictus eſt fulcire, quamque gratuitè Polygnotus pinxit, cui Zeno octo, & quinquaginta præfuit annos; Qui annum demum agens LXXXVIII nullo conflictatus morbo ex hac vita deceſſit ævo Ptolomæi Lagi. In Stoicorum laudes Cicero multus lib. pr. de legibus viros doctiſſimos, & lib. 2. ſapientiſſimos, vocat. Præterea D. Hieronymus eorum maximè favet honori, nam in cap. XL. Iſaiæ ait: *Hi* (loquitur de Stoicis) *noſtro dogmatin pleriſque concordant, nihil appellant bonum, niſi ſolam honeſtatem, nihil malum niſi turpitudinē.* In quā quidē ſētentiam Stoicorum gloriæ etiam I. Lipſius pr. Miſcell. epiſt. 97. & 33. velificatur dicens: *ex philoſophis omnium accomodatiſſimè ſcripſerunt ad Chriſtianam veritatem.* Quod firmat epiſt. 33. pr. centur. *Scio non alios à priſcis magis conſentire cum Chriſtiana pietate, quàm eos, qui è Stoica domo.* Sed quicquid de hoc ſit pluribus lib.

lib. pr.Epicuri Expenſi ad trutinam pendo. Potiſſimùm autem logicis ſpeculationibus Zeno, & ſequaces ſtudebant, quam ut ſibi propriam artem vindicabant,atque adeo dicebant:ſolum logicū ſapientem; ut Laërtius tradit lib. VII. in Zenone. Quamvis autem à principio apud eos logica benè conſtituta eſſet, mox tamen eam ſectatores labefactarunt in meram eam ſophiſticam commutātes,atque inde Eriſtici ſunt nominati. Subtilitatis laude maximè floruerunt: Quintilianus lib. XII. cap. 2. dicere minimè dubitavit:*Stoici nullos, aut probare acriùs, aut concludere ſubtiliùs contendunt.* Quò etiam reſpexit A. Perſius sat. V.

Stoicus hic aurem mordet lotus aceto. nimirum Zeno tāta ſubtilitate ſcripſiſſe fertur, ut Carneades, quo ſubtiliùs ejus ſcripta refelleret, ellebórum ante ſumpſiſſe dicatur. Vide A. Gellium lib. XVII. cap. XV. Valerium Maximum lib. VIII. cap. VII. Quod quidem pleroſque alios feciſſe ſtudiorum gratia, ad pervidenda acriùs, quæ commentabantur teſtis eſt magnus ille naturæ myſtes Plinius lib.XXV. cap. V. Logicæ tamen inventæ

gloria Stoicis minimè tribuenda eſt, ut cenſuerunt nonnulli; ſed perperam. Temporibus ſiquidem planè refelluntur: Secta enim stoica, ut & Epicurea poſt Ariſtotelem exortas exploratum eſt. Siquidem Zeno Cyttiæus Stoicæ ſectæ conditor poſt Ariſtotelem claruit annis xxv., ut Voſſius notavit lib. de ſectis cap. xx. § xii ut æqualis fuerit Theophraſto. Quamobrem Alexander Aphodiſæus Stoicos appellat recentiores. Et Apulejus libro Perlyermenias Peripateticos ratione Stoicorum veteres vocat.

Nunc Zenonis auditores exhibeamus lectori, & maximè inſigniores, & quorum adhuc in veterum monumentis memoria ſuperſtes. Inter eos Ariſto Chius maximè celebris, cujus apud Ciceronem plurima mentio. Cleanthes Aſſius. Perſæus Cyttiæus, qui erudiit Hermagoram Amphipolitanum. Herillus Carthaginenſis, vel, ut alijs placet Chalcedonius. Milciades Chius. Dionyſius Heracleotes dictus Metathemenes cujus vitam ſcripſit Antigonus Caryſtius, ut Athenæus tradit lib. x. Spherus Boſphoranus, cui adhuc adoleſcen-

ti

ti Cleomenes operam dedit teſte Plutarcho. Athenodorus Solenſis. Philonidas Thebanus, quem cum Perſæo Cyttiæo Zeno Antigono regi miſit. Calippus Corinthius. Poſidonius Alexandrinus. Zeno Sydonius, alius omnino à Zenone item Sydonio Epicureo, quem Athenis Cicero frequenter audivit. Zenodotus qui in præceptorem epigramma conſcripſit, quod lib. VII. apud Laërtium. Porro Zenodoti plures, ut videre eſt apud Gerardum Ioannem Voſſium lib. pr. Hiſtor. Græcor. cap. x. Satis illuſtris Epheſius Grammaticus & poëta diſcipulus Philetæ, qui vixit ſub Ptolomæo primo, cujus filios erudiit, & Alexandrinæ præfuit Bibliothecæ. Verùm quia ex recenſitis Zenonis diſcipulis nonnulli à præceptoris in alias abiêre ſententias, peculiareſque conſtituêre ſectas, placet hîc antequam ulteriùs procedam, in ſectiones caput ſecare, ac ſigillatim unius cujuſque velut ſub aſpectum Magiſterium proponere, ut quilibet eorum planè noſcat, ac caleat ſeriem, deinde Zenoniæ ſucceſſionis telam redordiar. Apollonius quidem

Tyrius librorum, ac Philoſophorum à Zenone profectorum Tabulas edidit. Perierunt; ut & quos de eodem Zenone Cyttiæo Antigonus Caryſtius ſcripſit, librj.

SECTIO PRIMA.

DE MAGISTERIO ARISTONIS CHII, A QVO ARISTONIA SECTA.

ARiſto, quem prædiximus Zenonis Cyttiæi auditorem, Polemonem etiam audivit, quòd in diuturnum morbum inciderat Zeno. Porrò neutrius ſtetit ille decretis, at ingenio pollens, nova ipſe decreta commentus, aliam ab ipſius nomine inſtituit ſectam, quam Ariſtoniā vocavit, Ariſtonios ſequaces Cicero 2. Acad. quęſt. *certè minùs deſpicere debemus Ariſtonē, qui cùm Zenonis fuiſſet auditor, reprobavit illa, quæ ille verbis: nihil eſſe bonum, niſi virtutem, néque malum, niſi quod virtuti eſſet contrarium: in mediis ea momenta, quæ Zeno voluit, nulla eſſe cen-*

cenſuit. Huic ſummum bonum eſt, in his rebus neutram in partem moveri, quæ adiaforia ab ipſo dicitur. Hujus diſciplinæ auditores fuere Milciades Chius, qui & audivit Zenonem. Et Diphylus Boſporanus, cujus F. Demetrius Bythinius Panætium Rhodium audivit. Prætereà Eraſtothenes Cyrenæus Coſmographus inſignis, qui & Callimacho uſus eſt præceptore, Hermocratis Iaſenſis diſcipulo. Athenis à Ptolomæo Evergete accerſitus venit in Ægyptum, ibique præfuit Bibliothecæ regiæ ſucceſſor Callimachi. Moritur ſub Epiphane ætatis anno Octogeſimo. Ab eo Grammaticorum illuſtris oboritur claſſis. Eraſtotheni ſiquidem auditor fuit, atque ſucceſſor

ARISTOPHANES BYZANTIVS

Appellis F. qui & Callimachum, Zenodotum, atque Dionyſium audivit teſte Suida, floruitque ſub Epiphane æqualis Polemonis Ilienſis, ut eum vocat Suidas, Evergeti F. Aſclepiadis Myrleani, de quo legendus Voſſius lib. pr. Hiſtor. Græcor. cap. XVIII. Porrò Ariſtophanem

nem audiêre Artemidorus cognomento Ariſtophanius à præceptore, & Diodorus, qui & ipſe eadem de cauſſa dictus Ariſtophanius, quod utriuſque ætatem planè commonſtrat; vixêre enim ſub Ptolomæo Philometore, cùm Magiſter, ut patet, ſub Epiphane, &.

ARISTARCHVS SAMIVS.

Quem aliqui, & faciunt Alexandrinum, ut Petrus Crinitus lib. xxi, cap. ix. Honneſtæ diſciplinæ, qui ſub Ptolomæo Philometore in prætio erat Olympiade clvi, quemadmodum Euſebius in Chronicis prodit, ac in *Ariſtarchus* Suidas. Ptolomæum F. edocuit Evergetem, ut Athenæus ſcribit lib. II. cap. xxxiii, qui Alexandrinis dictus Cacergetes, & alios complures, inter quos, qui famam magis ſunt conſecuti, Dionyſius cognomento Thrax, patria Alexandrinus, ſed Rhodius vulgò dictus; quod Rhodi habitaret. Pompeij tempore Romæ docuit, auctore Suida. Ejus meminit Clemens concivis lib. v. ſtromatum. Pluribus Gerardus Ioannes Voſſius lib. pr.

Hiſtor.

Hiſtor. Græcor, cap. XXIII. Apollodorus Athenienſis, Aſclepiadis F. grammaticus, qui ſcripſit de Philoſophorum ſectis, eorumque dogmata collegit, ut Laërtius ſcribit, cujus quidem operis meminit lib. VII. in Chryſippo illis verbis: *Apollodorus quoque Athenienſis, in collectione dogmatum, cùm vellet aſſerere, quæ Epicurus viribus ſuis fretus conſcripſiſſet abſque adminiculo, eſſe incomparabiliter plura, quàm Chryſippi opera, ſic ad verbum dixit: Nam ſiquis tollat de Chryſippi libris, quæ aliena ſunt, vacua illi charta relinquetur.* In philoſophia verò Apollodorus Panætium audivit, ut ſuo loco infrà dicemus. Prætereà Ariſtarchi auditor fuit Dicæarchus Lacedæmonius grammaticus. Moſchus Siculus grammaticus, atque bucolicus poëta. Mnaſeas Patarenſis, vel Patrenſis, alius à Berytio, Colophonio, & Locro, qui obſcuri præ illo. Ejus inter cœteros meminit Fl. Ioſephus lib. pr. contra Apionem, & Arnobius lib. 3. adverſus Gentes. Demetrius Scepſius Ariſtarchum audivit, quem item grammaticũ Strabo appellat lib. XIII. Geograph. qui, & Cratetem audivit,

vit, Metrodorumque Scepſiũ civem ſuũ promovit, (eſt autem Scepſis Myſiæ minoris, vel Troadis urbs) de quo Strabo conſulendus loco citato. Docuit Pergami. Fuit hic Metrodorus Mithridatis Eupatoris ad Tigranem Armenium legatus, cujus rei pluribus meminit Strabo lib. XIII. Inſuper Ariſtarchi diſcipulus fuit, auctore Strabone lib. XVI

MENECRATES NYSÆVS

Cujus in grammatica diſcipulus Aratus Cilix; in philoſpphia ſiquidem Timonem audivit, Eretriumque Menedemum ut ſuo loco. Et Ariſtodemus F. (videlicet ipſius Menecratis) philoſophus, qui & audivit Ariſtarchum, cui decrepito Niſæ Strabo operam dedit admodùm adoleſcens, ut lib. XIV ſcribit, alius ab Ariſtodemo ejus conſobrino, qui junior, item Nyſæus Pompeij Magni filios erudiit, quin Strabone tibicine lib. XIV. ipſummet Pompejum: ille enim ſub Ptolomæo Euergete ſecundo: hic circa Olymp. CLXXVIII. emicuit, atque Soſtratus Ariſtodemi FR. ejus Menecratis nepos, qui Ariſtarchum audivit. Mentionem ejus Strabo habet loco citato. Sed

non

non gravabor hic Strabonis verba afferre, quæ ſuperiora planè firmant, & ceu affuſa luce colluſtrant. Ea autem ſunt: *Viri è Nyſſa illuſtres fuêre, Apollonius philoſophus Stoicus, Panætij familiaris, & Menecratis Ariſtarchi diſcipulus, & Ariſtodemus ejus filius, quem nos in extrema ejus ſenectute admodum juvenes audivimus. Item Soſtratus Ariſtodemi frater, & alius Ariſtodemus ejus conſobrinus, qui magnum Pompejum erudivit. Hi grammatici memorabiles fuêre at noſter etiam orator fuit; qui & Rhodi, & in patria duas ſcholas habebat, mane rhetoricam, meridie grammaticam. Ac Romæ etiam cùm Magni Pompeij filios inſtitueret, grammaticâ ſcholæ ſatisfaciebat.*

SECTIO II.

DE HERILLO CARTHAGINENSI SECTAQVE AB EO INSTITVTA.

HErillo patrium ſolum Carthago, Zeno fuit magiſter. Qui cùm ab Ariſtotele

Ariſtotele ejuſque Theophraſto diſcipulo ſcientiam ſummis laudibus extolli videret, eò adductus eſt, ut Zenonis relicta Pœcile aliam conderet ſectam, defendens ſummum bonum ſcientiam eſſe, ſummum malum ignorantiam. Cicero lib. 2. Academ. quæſt. *Omitto illa, quæ relicta jam videntur: & Herillum, qui in cognitione, & ſcientia ſummum bonum ponit. Qui cùm Zenonis auditor eſſet, vides quantum ab eo diſceſſerit, & quàm multum à Platone Megarici, quorum fuit nobilis diſciplina.* Cœterùm vel in ipſo auctore defecit. Vt enim v. de Fin. Cicero: *Herillus ſi ita ſenſit nihil eſſe bonum præter ſcientiam, omnem conſilij capiendi cauſſam, inventionémque officij ſuſtulit.*

SECTIO III.

DE DIONYSIO HERACLEOTA, QVI METATHEMENES EST APPELLATVS, HOC EST IMMVTATVS.

ADoleſcens poëſi Dionyſius addixerat animum, Aratumque Cilicem vatem Aſtronomię peritiſſimū in delitiis habuit, quem & imitari ſummopere ſtuduit. At homo varius poëſi non hæſit diu, ſed unius philoſophiæ captus ille amore Heraclidem concivem adiit ſuum qui planè inter Platonicos inſignis philoſophus, cui cùm aliquandiu operam dediſſet, eo relicto ad Alexinum ſe contulit, ſed nec eo contentus Menedemo adhæſit: tandem ad Zenonem divertit, à quo etiam flagitioſè deſcivit. Eleganter, ut omnia, Cicero 2. Tuſcul. *Ad Philoſophos me revocas; qui in aciem non ſæpe prodeunt. A quibus homo ſanè levis Heracleotes Dionyſius, cùm à Zenone fortis*

eſſe

eſſe didiciſſet, à dolore devictus eſt. Nam cùm ex renibus laboraret, ipſo in ejulatu clamitabat, falſa eſſe illa, quæ antea de dolore ipſe ſenſiſſet. Quem cùm Cleanthes condiſcipulus rogaret, quænam ratio eum de ſententia deduxiſſet, reſpondit, quia cùm tantū operæ philoſophiæ dediſſẽ, dolorẽ tamen ferre non poſſem, ſatis eſſe argumenti, malum eſſe dolorem. Plurimos autem annos in philoſophia conſumpſi, nec ferre poſſum: malum eſt igitur dolor. Tum Cleanthem, cùm pede terram percutiſſet, verſum ex Epigonis ferunt dixiſſe: Audiſne hæc Amphiaraẽ ſub terram abdite. Zenonem ſignificabat: à quo illum degenerare dolebat: Vide item eundem lib. v. de Finib. quo loci idem planè refert. A Zenone autem ad Cyrenaicos defecit, qui voluptatem corpoream ſtatuunt finem. Laërtius lib. VII. *Demum cùm diſceſſiſſet à Zenone* (Dionyſius) *ſe ſe ad Cyrenaicos contulit, ac palam luſtra ingrediebatur, cæteráque ſub omnium gerebat oculis, quæ ad voluptatem pertinerent.* Nunc ad inſtitutam ſeriem redit iterum ſtylus. Iamdiu enim nos

CLEAN-

CLEANTHES ASSIVS

opperitur, qui præceptori Zenoni i ſchola ſucceſſit Olympiade CXXIX Euſebio teſte. Pluribus in locis ejus meminit Cicero, & præſertim lib. 2. de Finib. ubi & tabulæ voluptatis mentionem habet, quam verbis Cleanthes pingere ſolebat, ac auditoribus ſuis ſeriò meditandam exhibere, de qua loquentem audiamus Ciceronem, qui graphicè quidem ſic illam deſcribit: *Pudebit te illius tabulæ, quam Cleanthes, ſanè commodè, pingere ſolebat. Iubebat eos, qui audiebant, ſecum ipſos cogitare pictam in tabula voluptatem, pulcherrimo veſtitu, & ornatu regali, in ſolio ſedentem: præſtò eſſe virtutes, ut ancillulas, quæ nihil aliud agerent, nullum ſuum officium ducerent, niſi ut voluptati miniſtrarent, eam tantum admonerent (ſi modò id pictura intelligi poſſet) ut caveret ne quid perficeret impudens, quod offenderet animos hominum, aut quicquam, è quo orietur aliquis dolor: Nos quidem virtutes ſic natæ ſumus, ut tibi ſerviremus: aliud nihil negotij habemus.* Deceſſit Cleanthes eadem

eadem qua Zeno ejus præceptor ætate. Cui à Romanis S.C. Aſſi ſtatua poſita eſt, quàm ſe vidiſſe teſtatur Simplicius commentario in Enchiridion Epicteti. cap. cii. Auditores illi Antigonus Rex, qui & Zenonem, ſi quando Athenas contenderat, audiebat. Spherus Boſphoranus qui & Zenoni operam dedit, quique Alexandriam ad Ptolomæum Philopatora ſe contulit, & qui ſibi in Magiſterij munere ſucceſſit

CHRYSIPPVS SOLENSIS ſeu Tarſenſis, ut alij ſcripſêre, qui Arceſila, & Lacyde in Academiam advenientibus ſe ad philoſophandum conjunxit, ut apud Laërtium lib. vii. Sotion tradit. Stoicorum omnium Coriphæus habetur, eorumque Porticum humeris ſuis fulcire, ac ſuſtentare dictus eſt. Cùm tamen auctore I. Lipſio lib. pr. de Conſtant. cap. x. primus extiterit, qui ſpinoſo acumine quæſtionum corruperit, & enervarit virilem stoicorum ſectam. Ejus Plinius lib. xxix. natur. Hiſtor. cap. pr. Eraſiſtratum medicum inſignem Ariſtotelis ex filia Nepotem, diſcipulum facit. Sed temporis ratio-

nem

nem minimè coherere quis apertè non videt? Chryſippus quidem Solenſis quin Ptolomæi Evergetæ, & Philopatoris vixerit ævo dubium non eſt; Eraſiſtratus autem floruit ſub Ptolomæo Philadelpho teſte in Chronicis Euſebio, cujus auditor Strato medicus, ſive, ut quidam ajunt, alumnus. Quare vel Theophraſti Eraſiſtratus fuit auditor, ut Laërtius innuit, vel Chryſippi Cnidij medici, à quo multa ſe didiciſſe fatetur. Exceſſit Chryſippus Olymp. CXLIII, ut ex Apollodoro in Chronicis tradit Laërtius, non XLIII, ut Voſſius Laërtio tribuere videtur lib. pr. Hiſtor. Græcor. cap. XVII. Quare immeritò Voſſius taxat vel qui Laërtium vertit è Græco, vel qui eum notis illuſtravit, quaſi non adverterit mendum, quod planè nullum, niſi Voſſio, unde ſuſpicor Voſſium uſum codice corrupto. Ariſtocreon Chryſippi diſcipulus fuit, ac familiaris Plutarcho referente in libro de contrarietatibus Stoicorum, qui & pręceptori ſignum erexiſſe ſcribit. Et Philocrates item diſcipulus quorum meminit Laërtius lib. VII. Præterea Chryſippi auditor fuit Ariſtogenes

nes medicus Cnidius, qui Antigonum cognomento Gonatam curavit doctore Suida. Zeno quidam, quem Laërtius ait libros quidem ſcripſiſſe perpaucos; ſed complures reliquiſſe diſcipulos. Et auctore Cicerone lib. pr. de divinatione

DIOGENES EX SELEVCIA

Qui ob vicinitatem dictus eſt Babylonius. *Chryſippum ſubſequens unum librum Babylonius Diogenes edidit, ejus auditor*; ita Cicero loco citato. Plutarchus in lib. de Fortudine Alexandri meminit Zenonis uti Diogenis Babylonij Magiſtri: at patriam ſilet. Quid ſi dicamus Zenonem hunc illum eundem eſſe, cujus etiam meminit Laërtius lib. VII. noſque modò ex illo dicente: *eum libros quidem ſcripſiſſe perpaucos, ſed complures reliquiſſe diſcipulos*? patriam, & hic ſilet. Carneadem Cyreneum docuit Diogenes Dialecticam, ut 2. Academic. quæſt. Cicero teſtatur dicens: *cùm aliquid ejuſmodi inciderat, ſic ludere Carneades ſolebat: ſi rectè concluſit, taceo: ſin vitioſè, minam Diogenes reddat. Ab eo enim Stoico dialecticam*

cam didicerat: hac autem merces erat Dialecticorum. Cum quo, & Critolao Peripatetico Romam venit legatus, ut diximus ſuprà lib. pr. cap. VI in Carneade, meminitque Cicero lib. IV. Tuſcul. *Sapientiæ ſtudium vetus id quidem in noſtris: ſed tamen, ante Lælij ætatem, & Scipionis, non reperio quos appellare poſſim nominatim. Quibus adoleſcentibus Stoicum Diogenem, & Academicum Carneadem video ad Senatum ab Athenienſibus miſſos eſſe legatos.* Magnum Diogenem gravemque Stoicum 3. de officijs Cicero vocat; *Aliud Diogeni Babylonio videri ſolet, magno, & gravi ſtoico: aliud Antripatro diſcipulo ejus, homini acutiſſimo.* Ejuſque non ſemel habet ille. Ejuſdem item in adoleſcentia auditor fuit C. Lælius F. illius Lælij, qui familiaris Africano erat ſuperiori, ipſe verò familiaris Scipioni Æmiliano: vir ingenio doctrinaque pollens, poëſi etiam & oratoria egregius, & poſtea Panætij auditor. Zenodotus item philoſophus Stoicus uti Diogenis Babylonij diſcipulus memoratur. Quamvis enim aliqui cum Ambroſio Monacho verterint apud Laërtium lib.

VII. è græco Zenodotum philoſophum Stoicum Zenonis Cyttiæj fuiſſe diſcipulum, alij tamen notavère ad oram, atque è græco verterunt, *Diogenis*. Nimirum Diogenis Babylonij auditor fuit

ANTIPATER TARSENSIS

Quem Seneca epiſtola XCII inter magnos ſectæ hujus Doctores enumerat. Quod autem hic, non Tyrius (bini enim eodem nomine philoſophi stoici, alter Tarſenſis, Tyrius alter: De quo infra cap. VI.) Diogenis Babylonij diſcipulus fuerit, ac Panætij doctor, vel ex eo clarè colligitur, quod Tyrius Ciceronis obijt ævo, ut ipſemet Cicero teſtis lib. 2. officiorum: *In his utilitatum præceptis Antipater Tyrius stoicus, qui Athenis nuper eſt mortuus, duo præcepta cenſet eſſe à Panætio prætermiſſa* (en Tyrium planè alium à Tarſenſi Panætij doctore qui Tyrio ſenior) *valetudinis curationem, & pecuniæ.* Panętij ſiquidem doctor non potuit uſque ad Ciceronis tempora ætatem producere. Et de hoc profecto loquitur Cicero lib. pr. de Divina-

vinatione: *Acceſſit acerrimo vir ingenio Chryſippus, qui totam de divinatione duobus libris explicavit ſententiam, quem ſubſequens unũ librũ Babylonius Diogenes edidit, ejus auditor: duo Antipater, quinque noſter Poſidonius. Sed à Stoicis vel principibus ejus diſciplinæ, Poſidonij doctor, diſcipulus Antipatri, degeneravit Panætius.* Quod ſi Tarſenſem hunc minimè hîc Cicero nominat, cùm tamen Catonis præceptorem, & familiarem, teneamus Tyrium fuiſſe, ut Cicero lib. 2. de officiis, & Plutarchus in vita Catonis Vticenſis, Tarſenſem fuiſſe profectò dicendum eſt. Cùm enim omnino fuerint eodem nominè philoſophi ſtoici duo, Tarſenſis unus, Tyrius alter, profectò ſi non Tyrius ergo Tarſenſis. Cujus item meminit in vita C. Marij prope finem Plutarchus. Et de hoc eodem Tarſenſi loquitur Cicero lib. 2. Academ. Quæſt. *Quid? duo vel principes dialecticorum Antipater, & Archedemus opinioſiſſimi homines, nonne multis diſſentiunt?* Strabo enim lib. XIV, qui & ipſe Antipatro jungit Archedemum, tertiumque addit Neſtorem, Tarſenſes omnes fuiſſe ait. Archedemi

meminit Seneca epiſt. cxxi, eique Poſidoniumjungit. Plutarchus libros de exilio patria Athenienſem facit. In intimos uſque Perſas penetravit, & more Græcorum Babyloni multas habuit ſcholas, atque inde ſic diſceſſit, ut non minus triſte deſiderium, quàm jucundam diuturnamque memoriam nominis ſui reliquerit. Complures enim ſtoicæ diſciplinæ alumnos, qnaſi quoſdam ſuæ voluntatis obſides, & ſapientiæ, ac virtutis pignora Babylonijs reliquit. Antipatro auditores fuêre Bloſſyus Cumanus, ad quem ſunt quædam ab Antipatro ſcripta familiarem Tiberij Gracchi, ut Plutarchus ſcribit in vita Tiberij, & C. Gracchi. Heraclides Tarſenſis qui Antipatro, & auditor, & neceſſarius fuit, ac unà cum Athenodoro peccata imparia dicebat. Poſidonius, de quo infrà auctore Galeno; ſive Ætio penè initio libri de Hiſtoria philoſophica, &

PANAETIVS RHODIVS

ut Cicero lib. primo de Divinatione teſta-

teſtatur. Qui in ejus laudes multus hinc inde. Nunc enim Stoicorum principem vocat. 2 Academ. Quæſt. & lib. 2. de Divinatione. Nunc Stoicorum graviſſimum 2. de officijs, & 4 de Finibus. *Homo imprimis ingenuus, & gravis dignus illa familiaritate Scipionis, & Lælij Panætius.* Nunc hominem eruditiſſimum, ac pene divinũ. Qui tamẽ à Stoicorũ principibus non nihil dictus eſt degeneraſſe, quod eorum triſtitiam, atque aſperitatem fugiens, nec aſperitatem ſententiarum, nec diſſerendi ſpinas probaverit, fueritque in uno genere mitior, in altero illuſtrior, ſemperque, ut Cicero lib. 4. de Finibus habuerit in ore Platonem, Ariſtotelem, Xenocratem, Dicearchum, ut ipſius ſcripta declarant. Atque adeo P. Cornelius Scipio Æmilianus Africanus minor, qui ejus, fuit auditor, deque ejus vita, & rebus geſtis Carolus Sigonius ſcripſit, aſperior haud quaquam ex ejus evaſit præceptis, ſed à ſenibus, ut acceperat, leniſſimus. Vellejus lib. pr. P. *Scipio tam elegans liberalium ſtudiorum omniſque doctrinæ, & auctor, & admirator fuit, ut Polybium, Panætiúmque præcellen-*

tes ingenio viros, domi militiæque ſecum habuerit, & aut corpus periculis aut animum diſciplinis exercuerit. Quamobrem & ſapientis cognomen tulit. Quis verò C. Lælio comior? Quis jucundior eodem ex ſtudio iſto ſub diſciplina Panætij? Quis illo gravior, ſapientior? Item L. Philippus, & C. Aquilius Gallus ſtoici fuêre, ſed comes & jucundi. Panætio operam dedit & P. Rutilius Rufus vir ſummus, & propè perfectus in ſtoicis, ut in Bruto Cicero ſcribit. Qui in jure Civili Q. Mutium Scævolam, & M. Manilium audivit. In Panætij præceptoris commendationem dicere ſolebat: ut nemo pictor eſſet inventus, qui Veneris eam partem, quám Apelles inchoatam reliquiſſet, abſolveret (oris enim pulchritudo reliqui corporis imitandi ſpem auferebat) ſic ea quæ Panætius prætermiſiſſet, & non perfeciſſet, propter eorum, quæ perfeciſſet, præſtantiam, neminem eſſe perſecutum, atque ita 3. de officijs Cicero refert. Conſul fuit P. Rutilius Rufus cùm C. Mallio anno ab V. C. 649. Olymp. CLXVIII, an. IV. fuit orator in quodã triſti,

& ſe

& ſevero genere dicendi, ut Cicero ait in Bruto, & pro illis temporibus bonus. Nec orator modò & philoſophus, ſed hiſtoricus, & Iuriſconſultus. Adi Voſſium lib. pr. Hiſtor. Græcor. cap. XXII, qui plura de eo. Q. Ælius Tubero Panætium audivit, ſicut, & Panſam. Mneſarchus cujus, meminit Cicero pr. de Oratore ad Q. FR. ejuſdem item, ac Dardini stoici in Academicis Quæſtionibus. M. Vigellius, de quo idem Cicero 3. de Oratore. Apollonius Nyſæus (Apollonij plures, de quibus legendus Meurſij ſyntagma) Panætij auditorum optimus, ac familiaris, cujus & meminit Strabo lib. XIV, noſque ex illo ſuprà ſectione pr. in Menecrate, cujus quidem, & attulimus verba. Plato Rhodius in philoſophia maximè clarus. Apollodorus Athenienſis Aſclepiadis F. qui & Ariſtarcho grammatico operam dedit. (Apollodori item aliquammulti de quibus videndum Scipionis Tetti commentarium) Cato Ægiptius, Hecaton Rhodius, cujus apud Ciceronem 3. de offic. ac Laërtium in Zenone, alibi plurima mentio. Polemon Helladicus

Evegeti F. genere Iliæus hiſtoricus nobiliſſimus æqualis Ariſtophanij Byzantij grammatici teſte Suida. Demetrius Bithynius F. Diphili Boſporani stoici. Scylax Halicarnaſſæus exellens in Aſtrologia, idemque in regenda ſua civitate princeps, qui Panætij maximè familiaris, ut auctor eſt Cicero lib. 2. de divinat. Quo loci, & Archelai, & Caſſandri ſummorum Aſtrologorum illius ætatis, qua erat Panetius, etiam commeminit. Prætereà Panætij auditor, atque ſucceſſor fuit

POSIDONIVS APAMEENSIS
Ex SYRIA

Quamvis Rhodium indigitent aliqui, quod Rhodi ſub diſciplina Panætij duxerit ævum ut & Apollonius Malacus, & Molo dicti ſunt Rhodhij cùm eſſent Alabandenſes, & Meneclis Alabandenſis, oratoris diſcipuli, ut Strabo teſtatur lib. XIV. Floruit Poſidonius tempore belli Pompeiani, ac ſub Iulij Cæſaris principatu, ut Voſſius docet lib. pr. Hiſtor. Græcor. cap. XXIV. Plinius lib. VII natur. Hiſtor. cap. XXX. *Cn. Pompejus M. triumphans ad Poſidonium stoicum* *au-*

audiendū licet ægrotum divertit & fores de more percuti à lictore vetuit: ſed faſces imperij ſubmiſit is, cui ſe orbis ſubmiſerat Cujus quidem rei, & Cicero meminit lib. 2. Tuſcul. nec piget ejus verba affere, cùm ob eorum elegantiam, tum ob nobiliſſimi philoſophi Poſidonij in perferendo dolore conſtantiam. *At non noſter Poſidonius: quem & ſæpe ipſe vidi, & ut dicam quod ſolebat narrare Pompejus: ſecùm Rhodum veniſſet, decendens ex Syria, audire voluiſſe Poſidonium: ſed cùm audiſſeum graviter eſſe ægrum quod vehementer ejus artus laborarent, voluiſſe tamen nobiliſſimum philoſophum viſere: quem ut vidiſſet, & ſalutaviſſet, honorificiſque verbis proſecutus eſſet, moleſtéque ſe dixiſſet ferre, quod eum non poſſet audire: at, ille, Tu verò, inquit, potes: nec committam, ut dolor corporis efficiat ut fruſtrà tantus vir ad me venerit. Itaque narrabat eum graviter & copioſè de hoc ipſo, nihil eſſe bonum, niſi quod honeſtum eſſet, cubantem diſputaviſſe. Cúmque quaſi faces ei doloris admo verentur, ſæpè dixiſſe: Nihil agis dolor, quamvis ſis moleſtus nunquam te confitebor malum.* Poſidonij porrò nullum (quem

legerim) hiſtoriarum monumenta diſcipulum produnt, niſi Ciceronem ipſomet tibicine non uno in loco. primo de natur. Deor. pr. de Fato. pr. de Finibus, ubi & familiarem ſuum appellat. Quamvis ſciam dubitaſſe nonnullos, an Apameenſis, an Alexandrini, an verò Olbiopolitæ. Ego Franciſco Fabricio planè aſſentior, qui Ciceroni vitam eruditè pertexuit, qui Apameenſis. Quod pluribus Voſſius fulcit, & firmat loco citato. At Academicus, non stoicus, ut vidimus, Cicero.

Quare raptim hic tranſcurrere lubet reliquã stoicorum hinc inde diſperſam familiam ac in unum cogere locum, ut ſub uno oculorum ictu obvios quiſque ſaltem habeat eos, qui maximè floruêre illuſtres; namſi omnes enumerare parem, ſimilis illiſim, qui referre volet (ut cum Catullo loquar Epigram. VI.)

Quam magnus numerus Lybiſſæ arenæ
Laſerpiciferis jacet Cyrenis
Oraclum Iovis inter æſtuoſi
Et Batti veteris ſacrum ſepulcrum.

Caput

CAPVT IV.

Doctiſſimorum Stoicorum, qui extra ſeriem claruère, ac ſucceſſionem, Lectori meo ſyllabum exhibeo.

PErcurre mecum ſi lubet. Diſpice obviam procedentes, barbatos, triſtes, & aſperos, hirſutos aliquos, & dura ruſticitate truces. Et prior quidem, ſi probè noverim, videtur

Q. Mucius Scævola P. F. Pontifex Maximus, cujus apud Ciceronem plurima mentio, qui & ejus fuit in jure civili auditor, ſecta ſtoicus fuit, ut ex primo de Oratore ſatis apertè colligitur. Magiſterium Scævola in jure civili ſumma cum laude obivit, principeſque Reipublicæ viros erudiit, de quibus non eſt hic locus agendi. Faxit Deus, ut otium nanſciſcar, quo & Iuriſperitorum magiſterium literis prodam. Magnificè de eo loquitur Cicero, & maximè loco citato dicens: *Q. Scævola æqualis, & collega meus; homo omnium ditiſſimus, & diſci-*

plina juris civilis eruditiſſimus, & ingenio prudentiáque acutiſſimus, & oratione maximè limatus, atque ſubtilis, atque (ut ego ſoleo dicere) juriſperitorum eloquentiſſimus, eloquentium juris peritiſſimus.

Crates Malloтes Grammaticus de Poëtis benè meritus Timocratis F. ſecta Stoicus fuit. Homericum, & Criticum veteres dixêre. Strabo quidem lib. pr. docet, ut Crates hic Homeri verſum emendarit, libro verò XIV. addit, præceptorem credi Panætij De eo ſic Suetonius in libro de claris Grammaticis: *Primus, quantum opinamur, ſtudium Grammaticæ in urbem intulit Crates Mallotes, Ariſtarchi æqualis; qui miſſus ad Senatum ab Attalo Rege, inter ſecundum, & tertium bellum Punicum, ſub ipſam Ennij mortem, cum in regione Palatij, prolapſus in cloacæ foramen, crus fregiſſet, per omne legationis ſimul, & valetudinis tempus, plurimas* ἀκροάσεις *fecit. aſſiduéque diſſeruit, ac noſtris exemplo fuit ad imitandum.*

Sextus Pompejus nedum Scævolæ in jure civili fuit, auditor, verum in Stoicis amantiſſimus comes. Ejus meminit Cicero in Bruto: *dicebat L. Scipio non impe-*

imperitè,Cneúſque Pompejus Sex F. aliquem numerum obtinebat. Nam Sex. FR. ejus præſtantiſſimum ingenium contulerat ad ſummam juris civilis, & ad perfectam Geometriæ, & rerum ſtoicarum ſcientiam.

M. Porcius Cato Vticenſis pronepos M. Porcij Catonis Cenſorij, qui major eſt dictus, minor Vticenſis appellatus, ſecta stoicus fuit, ac Græcæ ſapientiæ callentiſſimus; unde quantum Græcos oderat proavus, ut vidimus lib. 2. cap. primo, tantum eos dilexit pronepos. Vterque maximus, & innocentiſſimus veteribus habitus eſt. Florentem hunc Vticenſem Euſebius in Chronico facit Olymp. CLXXVII. De cujus virtutibus,& eruditione unus inſtar omnium videri poteſt in ejus vita Plutarchus. Et quia ſolemus eos, quorum virtutem miramur, aut eos, qui repentinè advenerint, de cœlo cecidiſſe dicere inquit Minutius Felix in Octavio apud Lactantium lib, pr. divin. Inſtit. cap. XI; Iuvenalis idcirco ſat. 2. dixit

Tertius è Cœlo cecidit Cato.

Multa ſunt, eaque ampliſſima de Catone teſtimonia Senecæ lib. 2. de Tranquil-

litate vitæ; Lucani lib. IX. Civilis Belli, Ciceronis, Salluſtij, & aliorum, quæ hîc referre ſuperſedeo. Ne prorſus tamen jejunum Lectorem meum dimittam, lubet ſaltem Vellei Paterculi teſtimonium afferre. Is ergo Catonem ad Vinicium ſic deſcribit: *Hic genitus proavo M. Catone principe illo familiæ Porciæ, homo virtuti ſimillimus, & per omnia ingenio Dijs quàm hominibus proprior. Qui nunquam rectè fecit, ut facere videretur, ſed quia aliter facere non poterat; cuique id ſolum viſum eſt rationem habere, quod haberet juſtitiam: omnibus humanis vitiis immunis, ſemper fortunam in ſua poteſtate habuit.* Hæc Vellejus. Pompei, hoc eſt, ipſius Reip. & libertatis partes adverſus C. Cæſaris tyrannidem ſecutus eſt. Victo ad Phaſaliam à Cæſare Pompejo, & in Africa Scipione Metello Pompei ſocero, ipſe fracta fortuna partium, cùm omnia ſuperata eſſe à Cæſare videret, Vticæ, (quæ civitas eſt in Africa,) perlecto bis nocte quodam Platonis Phædone de animæ immortalitate, gladio ſe transfixit. Meminit Lactantius lib. 3. divin. Inſtit. cap. XVIII. *Ex Romanis Cato,*

qui

qui fuit in omni ſua vita ſtoica vanitatis imitator. Et paulò pòſt. *Cato videtur mihi cauſſam quæſiſſe moriendi, non tam, ut Cæſarem fugeret, quàm ut Stoicorum decretis obtemperaret, quos ſectabatur, noménque ſuum grandi aliquo facinore clarificare.* Vide item quid dicat D. Auguſtinus lib. pr. de Civitate Dei cap. XXIII, & XXIV, & per multa capita antè, de morte voluntaria. Munatius Catonis familiaris librum de rebus à Catone geſtis ſcripſit. Meminit Plutarchus, qui ejuſdem item vitam literis conſignavit.

M. Varro philoſophus, & poëta, eruditiſſimus omnium Romanorum, ſectam ſecutus eſt ſtoicam, quamvis & totius philoſophiæ præcipuè Græcæ promus condus fuerit, & alter Latinorum Plato, ſive Ariſtotelem dicere mavis. In ejus laudes Cicero in Bruto, & lib. pr. Academ. Quæſt. *Tum ego, ſunt inquam iſta Varro. Nam nos in noſtra urbe peregrinantes, errantéſque tanquam hoſpites, tui libri quaſi domum deduxerunt: ut poſſemus aliquando qui, & ubi eſſemus agnoſcere. Tu ætatem patriæ, tu deſcriptiones temporum, tu ſacrorum jura, tu ſacerdotum, tu domeſticam*

ticam, tu bellicam diſciplinam, tu ſedem regionum, locorum: tu omnium divinarum humanarúmque rerum nomina, genera, officia, cauſas aperuiſti: plurimùmquè poëiis noſtris, omninòque Latinis, & liieris luminis attuliſti, & verbis: atque ipſe varium, & elegãs omni ferè numero poëma feciſti: philoſophiámque multis locis inchoaſti. D. Auguſtinus lib. IV. cap. XXXI. de Civitate Dei acutiſſimum, & doctiſſimum eum appellat. Quod & repetit lib. VI. cap. 2. M. Fabius Quintilianus lib. X. cap. 1. & lib. XII. cap. XI. Inſtit. Orator. Lactantius lib. pr. divin. Inſtit. cap. VI. Moritur prope nonagenarius Olymp. CLXXXVIII.

Antipater Tyrius philoſophus Stoicus fuit, qui Ciceroniano floruit, & obijt ævo, ut 2. de officciis Ciceronis liquidò paret. Cujus auditor M. Cato Vticenſis ſecta item, ut vidimus, stoica. Qui proavum Marcum Porcium Catonem, & vitæ, ac ſtoicæ diſciplinæ ſeveritate retulit.

Athenodorus Tarſenſis cognomento Cordylio ſecta stoicus fuit. Eum Pergami commorantem, etiam ſeneſcentem idem adiit Cato, in caſtra perduxit, cum

eumque quoad deceſſit vitæ ſuæ comitem habuit, ac familiarem: Meminit Strabo lib. XIV. eodem item tempore floruit

Apollonides ſecta ſtoicus; nam cùm ipſemet Cato patriæ libertatem, ut modò dicebamus, civis vnius dominatu oppreſſam videret, Vticæ gladio ſe transfizit, bis perlecto Phædone, habitaque diſputatione de Philoſophia Stoica cum Demetrio Peripatetico, & Apollonide Stoico, ut ſcribit Plutarchus in vita Catonis Vticenſis.

Spurius Albinus doctus fuit in diſciplina Stoicorum, orator nobilis; cujus extare tunc temporis multas orationes Cicero dicebat.

Quintus Lucillius Balbus, qui in Dialogo Ciceronis de natura Deorum stoicorum partes tuetur, in quibus tantos fecit progreſſus, ut in eodem libro habetur, quod excellentibus Grçcis comparari meruerit. Meminit D. Auguſtinus lib. IV. de Civitate Dei cap. XXX.

Plotius Criſpinus æqualis Horatio Poëta fuit, Stoicamque ſectam profeſſus eſt. Meminit ejus Horatius cùm aliis in locis,

tum

tum ſatyra prima libri primi.

——————— *ne me Criſpini ſcrinia Lippi Compilaſſe putes,verbum non amplius addam.*

Theon Alexandrinus Stoicus fuit, alius à Theone item Alexandrino, qui floruit iiſdem temporibus, patria, & diſciplinis,quibus Pappus Alexandrinus, videlicet ſub Theodoſio ſeniore; noſter enim fuit tempore prior, ſi quidem ſub Auguſto poſt Arium Alexandrinum Philoſophum, emicuit.

Athenodori tres ſecta Stoici omnes: *Athenienſis* unus diſcipulus Dionyſiij Areopagitæ: Duo *Tarſenſes*; alter qui cum M.Catone vixit, & apud eum mortuus eſt dictus Cordylion,de quo paulò antè:alter Sandonis F.Cæſaris prçeceptor dictus Cananita. De eo ſic Strabo lib. XIV. *Athenodorus Sandonis, quem, & Cananitam à pago quodam vocant, Cæſaris præceptor fuit, magnóſque eſt honores conſecutus.* Meminit ejus, & Lucianus in Macrobiis,qui inter cœtera ait:duos,& octo ginta annos agentem diem ſuum obiiſſe.

Annæus Cornutus Leptites stoicus philoſophus fuit, docuitque A. Perſium, & Luca-

& Lucanum poëtas, Romæque vixit ſub Nerone, & antè. Ejus laudes Perſius prolixè deſcribit ſatyra tertia. A. Gellius lib. IX. cap. X, virum doctum, & prudentem appellat. Macrobius magnum virum, & literarum Græcarum doctiſſimum. Ejuſque meminit etiam in Chronico Euſebius dicens: à Nerone in exilium fugatum anno Domini LXIX.

Thraſeas Pætus philoſophus Stoicus fuit, floruitque ſub Nerone, cujus juſſu, cum ſibi moriendum eſſet familiarium ſuorum fletum magna conſtantia compeſcuit, porrectiſque alacriter ad inciſionem brachiis, humóque ſanguine aſperſa. *Hunc*, inquit, *ſanguinem libemus Iovi liberatori.* Lege Tacitum ad calcem lib. XVI. Annalium. Et meminit Valerius Martialis lib. pr. Epigram.

Quod magni Thraſeæ, conſummatique Catonis
Dogmata ſic ſequeris, ſalvus ut eſſe velis.

Adde ejuſdem Poeti Thraſeæ generum *Helvidium Priſcum* eandem ferè cum ſocero fortunæ aleam ſubiiſſe, ut ex C. Tacito habemus lib. XVI. Annalium ad calcem, qui & ipſe ſectæ stoicæ nobilis

lis alumnus, de quo plura idem Tacitus lib. IV. Hiſtoriarum.

Rubellium Plautum generum Lucij Veteris ſecta stoicum, qui ab eodem Nerone anno VIII. ſui Imperij interfectus fuit eodem Tacito auctore lib. XIV. Annalium.

P. Egnatius philoſophus ſecta stoicus fuit eodem Imperante Nerone. Meminit Tacitus lib. XVI. Annalium prope finem. Sed maxime inter cœteros tunc temporis celebris

L. Anneus Seneca Cordubenſis originis, ſed Romanæ virtutis: ſiquidem puer cum Iunio Gallio F.R. Roman ductus ſub diſciplina ſummorum virorum ſemina jecit inocciduæ gloriæ. Eloquentiam à Patre didicit M. Anneo Seneca, quem declamatoris nomine ferè diſtinguunt à F. Puer audivit Florum quemdam auditorem M. Porcij Latronis genere Hiſpani, qui floruit ſub Auguſto, ut ipſe controver. XXV. teſtatur. L. verò Anneus F. in philoſophia Socione Alexandrino philoſopho uſus eſt præceptore quem I. Lipſius in Manuduct. Philoſoph. Stoicorum lib. pr. cap. XII. inter claros

claros Stoicos reponit, & alij, cui, & Attalum Stoicum, atque Papyrium Felianum, qui fuit auditor Ceſtij Pij Epicurei, & Arellij Fuſci. Quamobrem celeberrimus evaſit, fuitque Stoicæ diſciplinæ accerrimus ſectator, & acutiſſimus defenſor, ut Lanctantius inquit lib. pr. divin. Inſtit. cap. v. & lib. 2. cap. 9. L. Anneus Sencea patruus fuit Lucani Poëtæ, docuítque Neronem, cujus juſſu inciſione venarum, & veneni periit hauſtu, ut & ipſemet Lucanus, de quibus Tacitus lib. xv. Annal. Docuit etiam ſecundùm aliquos Seneca, & M. Fabium Quintilianum, cujus nobilis auditor C. Plinius Cœcilius ſecundus Novocomenſis. Cœterùm ſi probè attenderis quæ de Seneca Quintilianus habet lib. x. cap. pr. verſus finem liquidò patere videtur, minimè ejus auditorem fuiſſe, imò fato jam functum Senecam, cùm Roman Quintilianus venit. Siquidem in Hiſpania ortus eſt in civitate Calaguritana, ut Euſebio placet, Romámque venit cum Galba, ut memoriæ veriùs alij tradidêre. Et quidem ipſemet Euſebius in Chronico ad annum Gratiæ LXXI. cujus ver-

verba ſunt: *M. Fabius Quintilianus Romam à Galba perducitur.* Cùm perierit Seneca anno XI. Imper. Neronis, Redemptionis humanæ LXVII. Quò brevi in familiaritatem Domitiani Principis inſinuatus ejus Nepotes erudiit. Romæ ludum aperuiſſe traditur, primumque à Fiſco ſalarium tuliſſe. De L. Anneæ Senecæ virtutibus, & eruditione variè ab antiquis dubitatum, & judicatum fuit. Quorum ſententias compendio relatas habes apud A. Gellium lib. XII. cap. 2. Noct. Attic. Vide item Quintilianum lib. x, cap. pr. & præ cœteris eruditiſſimum Lipſium. An autem à Paulo ad Chriſtum converſus fuerit, ut nonnulloeſt, vel ſaltem ex ejus auditione tam ſublimem ſapientiam comparaverit, adeat lector Franciſcum Modium in Novantiquis epiſt. XXI, & Georgium Hornium lib. IV. Hiſtor. Philoſoph. cap. VI. qui meram fabulam, & commentum ajunt. Quæ eſt etiam communis inter doctos ſententia.

Muſonius Rufus stoicus fuit illuſtris, ſapientiſque cognomen maximè, tulit; unde Himerius laudatione funebri filij

ſui

ſui Rufini, cùm dicere vellet, quàm præclaram de filio ſuo ſpem concepiſſet, ſperaſſe ſe ait. Minuciano fore vehementiorem, Nicagora graviorem, Sexto fortiorem, Plutarcho diſertiorem, *Muſonio* ſapientiorem, ac quibuſque oratoribus, qui anteà viguiſſent, clariorem, & meliorem; atque ita Photius in Bibloth. cap. CCXLIII. Patria Babylonium in Anthropol. agnoſcit R. Volaterranus lib. XVII. nec dubium, quin à Philoſtrato hauſerit in vita Apollonij Thyanæj lib. 4. cap. XII. qui ejus familiarem fuiſſe ait, ac literas ultrò citròque miſſas ejuſdem libri cap. XV. habet. Cornelius Tacitus lib. XIV Annal. Tuſcij generis Muſonium fuiſſe ſcribit, ejuſque non ſemel meminit lib. XIV, & XV. Annal. lib. III, & IV. Hiſtor. Nero quod philoſophiam oderit in carcerem udit, ut Philoſtratus ſcribit loco cit. cum Annæo Cornuto Leptitte interfectum ſcriptum reliquit Suidas. At non morte Euſebius, ſed exilio ſcribit ambo mulctatos. Et quidem à Tito Imper Muſonium ab exilio revocatum anno ſalutis LXXXIII idem Euſebius notat. Muſonij

nij dicta, & facta Aſinius Pollio Trallianus collegit, alius planè à Pollione illo principe oratore, & cive, ut eum Plinius vocat lib. VII. natur. hiſtor. cap. XVI, qui de Dalmatis triumphavit, ut ex Faſtis Capitolinis, & Dionis lib. LXVIII. liquidò paret. Nam Trallianus homo Græcus fuit. Muſonij ſæpe meminit A. Gellius apud quem lib. XVI. cap. pr. celebris ejus ſententia extat: *Si per laborem honeſti quidpiam egeris, labor abit, honeſtum manet: ſi per voluptatem turpe feceris quidpiam, quod ſuave eſt abit, quod turpe eſt manet.*

Strabo Amaſenus vir in omni antiquitate perveſtiganda ſolertiæ ſingularis, Stoicus philoſophus fuit, ut ipſemet fatetur lib. XI, quamvis & Peripateticus fuerit, ut opinatur Xilander; ſi quidem peripatetica cum Boëtho Sydonio perſerutatus eſt, ut ex ipſomet diſcimus lib. XVI, & lib. XV præceptorem ſuum vocat Xenarchum Seleucienſem peripateticum. At enim magis eum Stoicum quàm Peripateticum ipſemet docet lib. VI. Et ſanè Stoico magis quàm Peripatetico convenire verba illa

illa lib. IV. Voſſius item advertit lib. 2. Hiſtor. Græcor. cap. VI. *nam ubi de Providentia, & fato diſputatur, multa inveneris alioqui in rebus humanis, ac naturalibus; de quibus diceres, præſtitiſſe alio, quàm hoc modo, ea fieri: Vt, verbi gratia imbribus potiùs irriguam Ægiptum debuiſſe eſſe, quàm ab Æthiopia humorem accipere*: & *Paridem, cum Spartam peteret, debuiſſe potiùs naufragium facere; quàm, rapta Helena, poenas poſtmodò ſceleris dare, auctorem tantæ cladis Græcorum, ac Barbarorum. Quam Euripides Iovi Imputat*:

Teucris malum, Helladique cladem Iupiter
Contingere volens, iſta decrevit pater.

Boethus etiam quamvis, ut vidimus, ſit cum Strabone peripatetica ſcrutatus, attamen à ſcriptoribus paſſim philoſophus Stoicus vocatur. In grammaticis porrò audivit Tyrannionem, ut ipſe lib. XII tradit, cujus meminit Suidas, & Cicero ad Atticum lib. IV. Ad Q. Fratrem lib. 2: Libros autem Geographiæ Strabo provectæ admodùm ætatis ſcribebat ſub Imper. Tiberio Cæſare, qui

imperare cœpit olymp. CXCVIII.

Charemon Aegiptius philoſophus Stoicus fuit, ut lib. pr. contra Celſum Epicureum tradit Origenes. Præceptor fuit Dionyſij Alexandrini ejus, qui à Nerone uſque ad Trajanum docuit, præceptorique Alexandriæ ſucceſſit, ac Bibliothecæ præfuit teſte Suida Glauci F. Dionyſij porrò diſcipulus fuit Parthenius, at uterque grammaticus.

Epictetus Hieropolitanus philoſophus Stoicus fuit. Nobiliſſimum Stoicum appellat D. Auguſtinus lib. IX. de Civitate Dei cap. V. Stoicorum maximum A. Gellius lib. pr. cap. 2. & lib. 2. cap. XVIII. nobilem philoſophum. Quem & Helidiorum philoſophum nominatim in ſumma familiarite habuit Adrianus, & ipſe philoſophus, ut teſtatur Ælius Spartianus, præ cœteris eminente Favorino Gallo, Epaphroditi ſervus fuit, qui Neronis libertus, præfectus libellis, & à Domitiano capitali pœna damnatus. Suetonius in Nerone cap XLIX & in Domitiano cap. XIV. Habuit Epaphroditus, teſte Suida, optimorum librorum triginta millia. FL. Ioſephus in proë-

proëmio Antiquitatum Iudaicarum, quas ipſi dicavit, ſummè eum commendat ab omnis generis diſciplinarum cognitione, rerumque geſtarum peritia; cui item duos contra Apionem Alexandrinum libros nuncupavit. Hortorum Epaphroditianorum meminit Frontinus lib. 2. de Aqued. Extant duo apud A. Gellium lib. 2. cap. XVIII. verſus, quos de ſeipſo Epictetum ſcripſiſſe, traditur, quibus ſervitutis ſuæ mentionem, facit, & ſunt:

Servus Epictetus fueram: qui corpore mancus
Pauperie preſſus: carus eram ſuperis.

quorum & Macrobius meminit lib. pr. Saturnal. Tanta verò apud omnes homines ejus vitæ admiratio extitit, ut Lucianus Syrus Epicteti lucernam fictilem tribus dragmarum millibus, ob ejus auctoritatem veniſſe tradat. Ad Marci uſque Antonini tempora pervenit.

Demonax Cyprius Epicteti fuit auditor, ac Stoicæ diſciplinæ cum præceptore ſectator. Locutus eſt cum Phavorino, Peregrino, Herode Attico, atque etiam Luciano Samoſatenſi, qui ejus

vitam conſcripſit, præcipuè apomnemoneumata, ſeu dicta illius memorabilia, aut alia argutè, & ſalſè reſponſa. Et meminit Eunapius qui eum propter hanc elucubrationem inter vitarum ſcriptores refert in proëmio vitarum Philoſophorum, & Sophiſtarum. Quid autem mirum Demonacem cum Luciano etiam locutum? Quando penè centenarius evaſit, ut idem Lucianus auctor eſt. Epitectum inſuper audivit

Arrianus Nicomedienſis, qui præceptoris diſſertationes tribus libris græcè conſcripſit, floruitque ſub erudito Principe Adriano. Et nedum philoſophus fuit; verùm hiſtoricus, & ſi quorundam conjecturæ fidimus, juris conſultus inſignis. Quamvis revera Arrianus juriconſultus poſt Adrianum aliquantò vixerit, ut alius omnino ſit ab Arriano Epicteti diſcipulo. Cereris fuit ſacerdos, atque Proſerpinæ. Ejus vitam literis tradidit Dion Caſſius cognomento Coccejus. Meminit Arriani Lucianus in Pſeudomante illis verbis: *Arrianus, Epicteti diſcipulus, vir inter Romanos imprimis laudatus, ac per omnem vitam in lite-*

literarum ſtudijs verſatus.

Eufrates Aegiptius philoſophus nobilis, & clarus, ſecta Stoicus fuit, ut ex Euſebio in Chronico habemus. Qui tædio ſenectutis, & perpetui morbi, impetrata priùs ab Adriano venia, ne ſibi ignominiæ eſſet, cicutam bibit, ſibique voluntariam attulit mortem, anno IV. Imper. Adriani. Meminit Euphratis Eunapius in proëmio vitarum Philoſoph. & Sophiſtarum, ejuſque in Syria auditor fuit C. Plinius Cœcilius ſecundus Novocomenſis, ut ipſemet docet epiſt. x. lib. pr. in qua, & Euphratis laudes exequitur, floruitque ſub Trajano, cui, conſul deſignatus, gratias egit nobili illo Panegyricó, quo eo ingenere Romana facundia nihil habet elegantius judicio Gerardi Ioannis Voſſij de Rhetor. natura, ac conſtit. cap. xv. ſeptem extant epiſtolæ Plinij hujus Novocomenſis ad Arrianum; ſiquidem Plinius temporibus Arriani vixit Bithyniæ, ac Ponti Proconſul.

Marcion Cerdonis diſcipulus *Ponticus* philoſpphus Stoicus fuit, de quo Cæſar Baronius tom. pr. Annal. Eccleſiaſt. Bi-

na principia binoſque Deos ponebat: bonum, & malum. Septimius Tertullianus eruditè, & acriter libros aliquos contra ſcripſit Marcionem, in quibus eleganter interdum levitatis, inconſtantiæ, atque improbitatis Marcionem accuſat. Famoſi ejus diſcipuli fuère, Potinus, Baſilicus, alij, de quibus conſulendi Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ ſcriptores, maximè Euſebius lib. v. cap xiii. Vixit ſub Antonino Imperatore.

Apollonius Chalcidenſis in Stoicis fuit præclarus. Docuit M. Antoninum Verum cognomento Philoſophum, qui adeo Stoicam philoſophiam, & calluit & coluit, ut nulli ſuæ tempeſtatis philoſopho decederet, multos anteiret. Apollonio Antoninus, & Sextum addidit Chæronenſem Plutarchi Bœotij nepotem, Claudium Maximum, & Cinnam Catulum Stoicos omnes, & præcipuè Iunium Ruſticum, quem, & reveritus eſt, & ſectatus, qui domi militiæque pollebat, Stoicæ diſciplinæ peritiſſimum, cum quo omnia communicavit publica, privataque conſilia ut Iulius Capitolinus in ejus vita refert

fert, cui etiam ante præfectos prætorio ſemper oſculum dedit: quem & Conſulem iterum deſignavit, cui poſt obitum à Senatu ſtatuas poſtulavit. Inſuper audivit Commodum Chalcidium, & Baſilidem Syropolitanum; ſed cujus ille ſectæ adhuc nobis non conſtat. Ex antiquis Theologis aliqui etiam à Stoicis prodiêre. In his

Pantænus Alexandrinus Stoicus ſanè illuſtris. Chriſtianus factus ſcholæ Alexandrinæ præfuit, iiſque in rebus fidei uſus eſt magiſtris, qui Apoſtolos vidêre, quin illorum aliquos audivit. Photium, ſi audias, in Biblioth. cap. CXI. Euſebius lib. V. Eccleſiaſticæ Hiſtor cap. X. ait ad Indos uſque Pantænum penetraſſe Chriſtum prædicando. D. verò Hieronymus de Scriptoribus Eccleſiaſticis, & epiſtola LXXXIV. ad Magnum ſcribit profectum eum ad Brachmanas. Ejus

Clemens Alexandrinus concivis diſcipulus fuit, qui Catecheſin, hoc eſt, doctrinarum Magiſter eſt appellatus. Euſebius lib. V. cap. XI. Eccleſiaſt. Hiſtor. *Denique ipſe hic Clemens in ſeptimo Diſpoſitionum libro, Pantæni tanquam Magiſtri,*

& præceptoris ſui mentionem facit. Sed *& in primo libro Stromatum, hunc eundem deſignat.* Idemque apertè firmat Lollinus lib. 3. epiſt. 1. Quod autem Stoicus fuerit ex ipſomet liquet, qui ſe paſſim Stoicum prodit. Et in Chronico Euſebius teſtatur ad annum gratiæ 197 dicens: *Clemens Alexandrinæ Eccleſiæ presbyter, & Pantænus Stoicus philoſophus, in diſputatione dogmatis noſtri diſertiſſimi habentur.* Aliqui Clementis Origenem auditorem fuiſſe perhibent. Sed ex Academia, non ex Porticu hic. Recole, quæ diximus ſuprà lib. pr. cap. VII. in Ammonio majori, qui Saccas.

Damaſcius Syrus philoſophus stoicus fuit Elamitæ Phrigis familiaris, Simpliciique Cilicis præceptor, ut in commentariis Phyſicis ipſemet ait. Sub emicuit Iuſtiniano, ut ex Agathia Scholaſtico ſcimus, qui lib. 2. Hiſtor. inter principes eum ſui ævi philoſophos enumerat, ut qui ipſum cum multis comparans, quos lib. pr. attulimus cap. IX, qui ad viſendum Regem Perſarum Choſroëm ſe contulêre, tale de eo ſubdat elogium: *omnes, flos ipſe ſummus, ut*

ut poëticè loquar, noſtri ævi philoſophorum. Quæ verba a Voſſio lib. 2 Hiſtor. Græcor. cap. XXII. allata in noſtro deſiderantur Baſileenſi exemplari an. M. D. XXX.

Poſt Damaſcium quem alium demus Stoicorum, video nullus. Nec miror, cùm apud Petrum Victorium in Ariſtotelis Rhetoricam lib. 3. Simplius teſtetur, monumenta Stoicorum ætate ſua magna ex parte dilapſa, atque amiſſa. Quo autem temporis tractu vixerit Simplicius diximus ſuprà lib. pr. cap. VIII, & IX Apoſtolorũ ætate duraſſe vel ex Actis liquet, ubi dicitur Athenis eos Paulo reſtitiſſe de reſurrectione docentj. Mitto Protagoram Stoicum, alium ab eo, qui Democriti auditor, de quo pluria infrà lib. V. cap. V. hic enim præ illo ſenior. Serapionem Hieropolitanum cujus meminêre Strabo, & Stephanus. Leonidam Rhodium, cujus item Strabo libro XIV. Boëthum, cujus Cicero pr. de divinatione, quorum ſtatum me planè fugit ævum. Nec otium, vel libentia in illud inquirere mihi diutiùs.

DE MAGISTERIO *ANTIQVORVM* PHILOSOPHORVM

LIBER QVARTVS.

CAPUT PRIMUM.

DE MAGISTERIO ARISTIPPI CYRENENSIS, ET QVI AB EO PROCESSERE.

CYRENEN Lybiæ civitas Ariſtippo patria fuit, Socrates doctor, ſed tantum ab ejus parſimonia deſcivit, ut in philoſophourm nullo

nullo voluptas majus ſibi patrocinium invenerit. Quamobrem malè audiebat, quod convivaretur lautiùs, & veſtiretur, quodque cum Laide conſueviſſet. Cicero lib. 3. offic. *Ab Ariſtippo Cyrenaici, & Anniceri philoſophi nominati omne bonum in voluptate poſuerunt: virtutémque cenſuerunt ob eam rem eſſe laudandam, quod efficiens eſſet voluptatis.* Lactantius lib. 3. cap. VII. *Epicurus ſummum bonum in voluptate animi eſſe cenſet Ariſtippus in voluptate corporis.* Atque idem prorſus ait Quintilianus lib. XII. cap. 2. Quod idem paſſim uno ore dicunt ſcriptores. Quæ ſententia quamvis ab aliquibus, & Epicuro tribuatur, quantum tamen ab ea diverterit alibi pluribus docemus, tum ſingulari diſputatione de humana felicitate ad mentem Epicuri, cùm lib. 2. Epicuri Expenſi, quibus in locis abundè hoc argumentum verſamus. Sectam ex dictis côndidit Ariſtippus ab patriæ nomine Cyrenaicam, à quo grandis orta ſequacium familia, quorum alij Hegeſiaces, alij Annicerios, alij Theodorios ſe ipſos appellavêre. Floruit Ariſtippus ævo Artaxerſis Mnemonis æqualis Ti-

mæj Locri philoſophi Pythagorici; cujus Plato auditor teſtibus Cicerone, atque Valerio. Fortuna præſenti utebatur Ariſtippus, ad ejuſque nutum ſe ſe accommodabat. Quò alluſit Horatius lib. pr. epiſt. XVII.

Omnis Ariſtippum decuit color, & ſtatus, & res,
Tentantem majora, ferè præſentibus æquum.

atque adeo in hoc ſumma doctrinæ Ariſtippeæ fuit, ut Ælianus ſcribit lib. XIV. Var. Hiſtor. cap. VI. Ingenij fuit feſtivi, & jocis utebatur maximè convivalibus. Cùm ei cum Laide conſuetudo objiceretur: Reſpondebat: *Habeo Laidem, non habeor.* Exprobrantem lautiores cibos ita compeſcebat: *Tu,* inquiebat, *iſta tribus obolis non emeres?* Fatente illo, *ergo,* dicebat, *non ego magis voluptati ſtudeo quam tu avaritiæ.* Quid item reſponderit Charondæ, ſeu Phædoni, carpenti, quod unguentis eſſet delibutus, Laërtius refert. Ipſum adi. Propter hanc ingenij feſtivitatem fuit Principibus maximè carus, & Dionyſio præterim, cui plus cæteris probabatur. Adde, quod probè ſciebat ſe accomoda-

re loco, tempori, perſonæ & omnem convenientiæ ſimulare rationem. Diogenes regium Canem ipſum appellabat. Timon verò ut nimis delicatum acriter mordet. Aloyſius Lollinus lib. 3. epiſtolarum : *Nec quis mihi Ariſtippum memoret ſub philoſophi pallio urbanum ſcurram, vel Gnaſonem potius tegentem, cujus cùm omnis cura in curanda cute ſic evigilarit, ut cor in ventre habere videretur; nec cenſus ſumptui par eſſet, invenit, inſtituitque viam, unde ei, quæ ad vitam pertinent abundè ſuppeditarentur, cultum nempe Regum, quibus erat carus non tam ob eruditionem, qua pollebat plurimùm, verùm etiam ob ingenij feſtivitatem, jocis convivalibus accommodatam.* Rhodi potiſſimum docuit, ut ex Vitruvij verbis quæ habentur libro VI de Architectura in præfatione clarè coligi poteſt. Siquidem inibi refert *Ariſtippum Socraticum, ejectum naufragio ad Rhodiorum littus, cùm ſchemat a Geometricis deſcripta rationibus in arena vidiſſet, ad comites exclamaſſe*: Benè ſperemus, hominum veſtigia cerno *: ſta imque in Gymnaſium Oppidi delatum ibi cum admiratione omnium diſputaſſe, & muneribus ampliter donatum eſſe.*

Auditores habuit Arſtippus Ptolomæum, qui Æthiops, & Antipatrum Cyreneum, ſed literis, atque doctrina omnibus præſtitit ejus

ARETE F.

vnde eam conſecuta eſt gloriam, ut Patri in ſcholæ Magiſterio obeundo ſufficeretur. Cui

ARISTIPPVS F.

Auditor fuit, atque ſucceſſor. Qui quōd à matre Philoſophiam hauſerit *Metrodidactus* eſt appellatus; cujus Theodorus diſcipulus, quem quia aliam à ſuperioribus inſtituit ſectam, ſectione ab ijs ſejungere placet.

SECTIO PRIMA

DE THEODORO CYRENAICO à QVO THEODORIA SECTA.

Theodori plures. Notiſſimuss omnium, qui atheos, à quo ſecta

Teodoria, & qui ab illo Theodorij. Meminit Cicero lib. pr. de natura Deorum, & alibi. Arnobius lib. VIII. adverſus Gentes, & paſſim ſcriptores. Alius omnino à Theodoro Gadarenſi oratore (eſt autem Gadara civitas Syriæ) qui docuit Tiberium Cæſarem, ſectamque à ſuo nomine Theodoriam inſtituit Apollodoreæ oppoſitam, ut ſcribit Quintilianus lib. 3. cap. 1, & Theodorij ſunt appellati ſequaces, quos inter fuit Hermogenes, qui de arte dicendi concripſit, Carion cognominatus, rhetor egregius ex Temno Æolidis civitate, ut Strabo lib. XIII. Quem Tiberius princeps, cum ſeceſſiſſet Rhodum, ſtudioſè audivit, Quintiliano lib. VI. auctore. Noſter enim philoſophus, & tempore prior. Qui ex Ariſtippi, & Pyrrhonis diſciplina proceſſit, etſi Cratem quoque Athenæus, Anniceridem, & Dionyſium dialecticum audiſſe ſcribat in philoſophorum ſucceſſionibus Antiſthenes. Porrò hic Theodorus alius omnino eſt à Theodoro item Cyrenaico Geometra, cujus in Theeteto, & alibi meminit Plato, cujus item fuit auditor, ut ejus

Socra-

Socrates doctor. Antipater Cyreneus, qui Ariſtippi auditor; ludum, & ipſè habuit, a tque auditores, Inter eos

EPITIMEDES CYRENEVS

maximè clarus, & illuſtris habetur, qui & præceptori in ſcholæ admiſtratione ſucceſſit. Huic

PAREBATES CYRENEVS

auditor, quem Heſegias, & Anniceris audiêre.

SECTIO II.

DE HEGESIA CYRENAICO, à QVO HEGESIACA SECTA.

QVamvis principes philoſophorũ, & maximè celebres quatuor fuerint tantummodò ſectæ, Academicorum, Peripateticorum, Stoicorum, & Epicureorum. Ac proinde Cicero lib. pr. de natura Deorum inquit: *Tres enim trium diſci-*

diſciplinarum principes conveniſtis. Marcus enim Piſo, ſi adeſſet nullius Philoſophiæ earum, quæ in honore ſunt, vacaret locus. Convenerant autem C. Vellejus Epicureus. L. Balbus Stoicus. C. Cotta Academicus. Piſo Peripateticus deſiderabatur. Ee mdminit Virgilius in Ceiri

Si me ſumma ſapientia pangeret arce:
Quatuor antiquis, quæ hæredibus eſt
data conſors.

& Lactantius lib. v. divin Inſtit. cap. 3. *Philoſophorum doctiſſimi Plato, Ariſtoteles, & Epicurus, & Zenon.* Multò tamen plures fuiſſe, etſi minus celebres aliæ, & ignobiliores, & teſtes eſſe poſſunt, quas ſuprà aſſignavimus, & nunc aſſignamus, & quas dabimus infrà. Nimirùm Themiſtius ſcribit ſectarum ferè trecentarum examen ad memoriam uſque ſuam extitiſſe. Inter quas nulli dubium, quin & Theodoria, & Hegeſiaca, & Anniceria. Hegeſias itaque à principis Ariſtippi, Parebatiſque præceptoris placitis diſcedens (alius planè ab Hegeſia, ut patet, oratore, atque hiſtorico, patria enim hic Magneſius fuit, illoque junior, cùm vixerit temporibus

De-

Democharis, quem ajunt ſororis filium fuiſſe Demoſthenis, ejúſque in Bruto meminit Cicero) aliam à ſuo nomine condidit ſectam. Cùm enim mira valuerit dicendi vi, ac eloquentia, ſicut Valerius ſcribit lib. VIII. cap IX, eam ad vitæ hujus deplorandas miſerias convertit, ut eorum miſeranda imagine audientium pectoribus inſerta, multos ad ſibi ultò manus inferendas impulerit. Mirum profectò, & inauditum, & natura ipſa valentius orationis genus, quod & vitæ odium, & næcis deſiderium ingeſſerit. At veritus Rex Ptolomæus, ne latiùs ea ſerperet lues, indicto, eum, ſilentio, compeſcuit, ſcholámque clauſit. Vno duntaxat quem non excuſſit, calamo relicto, quo inſtitutæ jam, etſi deficientis, perſcriberet dogmata ſectæ. Meminit Cicero lib. pr. Tuſcul. quæſtionum illis verbis: *hoc quidem à Cyrenaico Egeſia ſic copioſé diſputatur, ut is à Rege Ptolomæo prohibitus eſſe dicatur illa in ſcholis dicere: quod multi his auditis, mortem ſibi ipſis conciſcerent.* Maximè autem auditores alliciebat, urgebat ad mortem Hegeſias, quod ſummo ſtudio animæ immortalitatem eis

ingereret, cujus deſiderio potiundæ manus ſibi ultro inferebant. Quemadmodum & Ambraciotæ Cleombroto acci-diſſe refert Cicero pr. Tuſcul quæſt. Qui lecto Platonis Phædone de immortalitate animæ, ut ex hac vita, quæ eſt velut mors quædam, ad immortalitatem migraret, è muro ſe in mare præcipitem dedit, cùm ei mali contigiſſet nihil. In eum eſt Epigramma Callimachi Græcum. Latinum apud Ioannem Lodovicum Vivem ad cap XXII. lib. pr. de Civitate Dei D. Auguſtini, quod hîc attexere placet.

Vita vale. Muro præceps delatus ab alto
Dixiſti moriens Ambraciota puer:
Nullum in morte malum credens, ſed ſcripta Platonis
Non ita erant animo percipienda tuo.

ſiquidē Plato in principio ejuſdem Dialogi, qui Phædo, appertiſſimè dicit: nefas eſſe hominem ſibimet manus inferre: nec aliter iraſci Deum, ſi id fiat, quàm Dominum, ſi quod mancipium occiderit. Alijſque multis in locis ait: migrare ex hac vita nulli hominum licere injuſſu Dei. Quod antea docuerat Pythagoras, à quo, ut multa alia, &

hoc Plato hauſit. Nimirum Cicero in Catone majori, vel de ſenectute, ait *Fit, ut illud breve vitæ reliquum, nec avidè appetendum ſenibus, nec ſine cauſa deſerendum ſit: vetátque Pythagoras injuſſu Imperatoris, id eſt, Dei, de præſidio, & ſtatione vitæ decedere.* Sumus enim hîc omnes velut in acie, loco unicuíque ſuo ab Imperatore Deo aſſignato: majoríque ſupplicio afficiendus deſertor vitæ, quàm militiæ. Sed de hoc argumento non hîc pluria. Legendus Plato loco cit. Cicero in ſomnium Scipionis, atque in idem Macrobius. Plotinus lib. IX Enneadis pr. L. Apulejus in libro de Philoſophia. D. Auguſtinus lib. pr. de Civit. Dei per multa capita, & Ioannes Lodovicus Vives inibi, & in Vigilia ſua.

Sectio III.

De ANNICERIDE, SECTA: Quæ Anniceria

Cyrenes tot nobilitata clariſſimis viris Anniceridi quoque patrrium ſolum

ſolum, Paræbates præceptor. Verùm, Cyrenaicam Philoſophiam, ſicut à præceptore acceperat, ſecutus eſt minimè, ſed aliam à ſuo nominè inſtituit ſectam, quam Anniceriam dixit. Quamobrem Cyrenaicam dicitur Straboni lib. XVII. emendaſſe, cujus verba non gravabor afferre. Ea autem ſunt: *Ex Cyrene illuſtres fuêre, Ariſtippus Socraticus, qui Cyrenaicam philoſophiam inſtituit, & Areta ejus filia, quæ in ſchola ſucceſſit, & Ariſtippus filius, qui matri ſucceſſit, &* Μητροδίδακτος *cognominatus eſt, & Anniceris qui Cyrenaicam ſectam videtur emendaſſe, & Anniceriam ab ea derivaſſe.* Prorſus ita eſt: ſtudium gloriȩ, quo quiſque alio ſapientior, & acutior videri cupit, nec ſententiæ quodammodò addictus alienæ, ſed ſui dogmatis, & opinionis inventor, tranſverſos à præceptoribus quamplurimos agit. Fateor cum Ioachimo Forcio de ratione ſtudij: Pulcrum eſſe mediocrem auctorum æquare doctrinam. Pulchrius ad ſummorum virorum excellentiam contendere; pulcherrimum longè ſuperare majores omneis, atque eum tenere montis tractum

tractum, quo nec aliquis perveniſſet unquam, nec fortaſſe quiſquam eſſet perventurus. Sed qui ad alterum poſtremumque ſcopum mentis dirigit aciem, atque collimat, ei planè opus eſt è claſſe eſſe eorum

——————quibus arte benigna
De meliore luto finxit præcordia Titan.

ut Iuvenalis ait ſat. XIV. Multi quidem cũ Anniceride eò pervenire contendant.

——————pauci, quos æquus amavit
Iuppiter, aut ardens evexit ad æthera virtus

perveniunt, ut optimè optimus ille poëta Virgil lib. VI Æneid. Quos tamen, etſi eventus eos aliquando fefellerit, ne metã contingere poſſint, improbo minimè Etenim in magnis rebus, vel conatus laudari ſolet. Ovidius lib. 2. metamorph.

——ſi non tenuit magnis, tamẽ excidit auſis.

& hũc facit, quod Apulejus habet lib. IV. Floridorum de conatu in laude, effectu in caſu. Quare cum Virgilio lib. 3. Georgicor.

——tentanda via eſt, qua me quoque poſſim
Tollere humo, victórque virùm volitare per ora.
Primus ego in patriam mecum (modo vita ſuper-

ſuperſit)
Aonio rediens deducam vertice Muſas:
Primus Idumaas referam tibi Mantua palmas.

Platonem Anniceris apud Æginam captum, miniſque venditum xx. vel, ut alijs magis placet, xxx, redemit, Athenáſque ad amicos remiſit. Laërtius lib. 2. in Ariſtippo, & lib. 3. in Platone.

CAPVT II.

DE PHAEDONE ELIENSI, à QVO ELIACA SECTA.

PHædon Elienſis patria fuit, conditione ſervus: at liberalis adeo animus illi, atque ingenium, ut brevi ad veræ libertatis pervenerit apicem; ſolum quippe ſapientem liberum Stoici docent. Cebes Socraticus (alijs Alcibiades, alijs Criton) eum, Socrate hortante, coëmit. Cùmque philoſophiæ ſub diſciplina ipſius alquamdiu operam navaſſet, illuſtris planè evaſit Philoſophus, Socrati & Platoni familiaris, & charus, ut ex A. Gellio habemus lib. 2. cap. XVIII. Ejus nomini Plato illum li-

brum divinum de immortalitate animæ dedit,ſermonéſque ejus de Socrate admodum elegantes leguntur. Sectam Phædon inſtituit, cui à patria indidit nomen, Eliacam eam appellans, Eliacos ſectatores,Anchipylum,& Moſchum ejus auditores, ac ſibi ſucceſſorem, qui

PLISTANVS ELIENSIS

cui operam dedere Aſclepiades Phliaſius, qui cum Metrodoro Eretrio, & audivit Stilponem, & Menedemus, de quo mox.

SECTIO VNICA.

DE

MENEDEMO ERETRIO, ERETRIAQVE SECTA.

Menedemus militiæ primùm, deinde philoſophiæ, Platone doctore, operam dedit, cùm enim ab Eretrienſibus (Eubœæ urbs eſt Eretria) miſſus eſſet in præſidium Megarorum, venit

nit in Academiam ad Platonem, captùſque amore philoſophiæ militiam reliquit. Porrò ab eo ad Stilponem avulſit eum Aſclepiades Phliaſius quem ambo audiêre, inde Anchipylo, & Moſcho Phædonis diſcipulis congreſſi ſut in Elidem, Aliqui Menedemum, & Xenocratem audiſſe, Paræbatémque Cyrenaicum memoriæ prodidêre; quos tamen contempſit, unúmque coluit & admiratus eſt Stilponem. Dionyſius Heracleota Menedemi fertur auditor, cùm priùs Heraclidem concivem ſuum, &, audiſſet, Alexinum, qui à Menedemo tranſijt ad Zenonem Cyttiæum, à quo flagitioſè ad Cyrenaicos defecit. Nonnulli ad Epicureos dicunt. Sectam Menedemus inſtituit, cui à patrio ſolo nomen, unde & qui ab illo Etetrici ſunt nominati. Cicero lib. 2. Academ. Quæſt. *A Menedemo autem, quod is Eretrias fuit, Eretriaci appellati: quorum omne bonum in mente poſitum, & mentis acie, qua verum cerneretur.* Et meminit lib. IX Strabo, quo loci loquens de Megara urbe, multaque ejus fortunæ varietate ait: *Habuit, & philoſophorum ſtudia, quos*

appellavêre Megaricos, qui Euclidi Socratis auditori ſucceſſêre. Sicut & Phædonem Eleum, Eleatæ ſectæ ſucceſſores excepêre, Socratis, & ipſum diſcipulum. E quibus extitit Pyrrhon. Sic ab Menedemo Eretrienſi derivati ſunt Eretrici: & lib. x. *Teſtis ſanè eſt Eretricorum philoſophorum ſchola, quæ Menedemi ductu, & auctoritate, Eretriæ conſtiterat.* De Eretricis philoſophis volumen ſcripſit Spherus Boſporanus teſte Laërtio lib. VII in Cleanthe. Lycophron autem Calcidenſis encomium Menedemi Eretrici literis conſignavit, ut eſt apud Laërtium lib. 2 in Menedemo, & Heſychium Miſeſium cognomento Illuſtrium, quamvis ironicè ſic ſcripſiſſe doceat Athenæus lib. x. Dipnoſoph. ex quo etiam cognoſcimus Antigonum Caryſtium Menedemi item vitam ſcripſiſſe. Cujus diſcipulus Aratus Cilix Aſtromoniæ peritiſſimus, & (ut dicunt) poëta ſolemnis, quem & Timonem Phliaſium dicunt audiſſe, in grammatica Menecrâtem Niſenſem. Emicuit Aratus Olymp. CXXIV regnante in Macedonia Antigono Demetrij Poliorcetæ F. cujus ſe diſcipulum prædicabat,

bat, atque adeo apud eum ad extremum uſque in honore vixit. Mirum autem eſt quod de Arato Cicero prodit lib. pr. de Oratore: conſtare inter doctos hominem ignarum Aſtrologiæ Aratum fuiſſe, quæque de cœlo, & ſtellis, ornatiſſimis, atque optimis verſibus dixit, & ſcripſit, rem ab aliis traditam deſcripſiſſe. Sed ſi Ariſtoteri cujuſdam mathematici Aratus fuit auditor, ut aliqui produnt, qui Aſtrologiæ fuit ignarus?

CAPUT III.

DE MAGISTERIO EUCLIDIS MEGARENSIS ATQUE SEQUACIUM.

INter omnes Socratis Auditores Euclides Megarenſis præceptorem ſuum maximè coluit, ſummoque habuit in honore. Sane quantum Socratem fecerit, vel illud argumento eſſe poteſt, quod aſſumpta muliebri veſte Megari Athenas conſueverit migrare, ut præſtantiſſimi præceptoris conſuetudine frueretur,

cùm aliter eum adire non poſſet, ob publicas inter utrumque populum ſimultates, ut ſcribit A. Gellius lib, VI. cap. X. Socrate autem vita functo Ludum Megaris aperuit, ubi celebri auditorio (in quo etiam Platonem fuiſſe perhibent fidi ſcriptores) philoſophiam profeſſus eſt, ſectámque inſtituit, quam à patria ſua Megaricam appellavit; unde & qui ejus diſciplinæ fuêre alumni, & ſucceſſores, Megarici primùm, deinde Eretrici, vel Eretriaci à Menedemo quod is, ut prædiximus, Stilponis auditor Eretrias fuerit. Cicero lib. 2. Academ. quæſt. *Poſt Euclides Socratis diſcipulus Megareus à quo idem illi Megarici dicti: qui id bonum ſolùm eſſe dicebant: quod eſſet unum, & ſimile, & idem, & ſemper. Hi quoque multa à Platone; à Menedemo autem, quod is Eretias fuit, Eretriaci appellati. Quorum omnè bonum in mente poſitum, & mentis acie, qua verum cerneretur.* Tandem Dialectici a Diodoro Iaſſio cognomento Crono ſunt nominati, quod apprimè ſe in Dialecticis exercerent prœcipuè in captioſis argumentandi generibus. Alius autem ab hoc

hoc, de quo nobis ſermo, Euclide, fuit Euclides Platonicus philoſophus, & geometrā inſignis tempore primi Ptolomęj, poſterior aliquando his, qui Platonis temporibus vixerunt, antiquior verò Eraſtothene, & Archimede. Hic multa de Geometria, & Muſica conſcripſit, quæ etiam hodie omnium manibus teruntur. Auditores Euclidi fuêre Clinomachus (Clitomachus Voſſio ſcribitur lib. de ſectis cap. XI, §. 4.) Thurius, qui de proloquiis primus fertur ſcripſiſſe. Ichtyas Metalli F. Megarenſis vir illuſtris, cui Diogenes Cynicus dialogum ſcripſit; at cœteris in magiſterij munere prælatus fuit

PASICLES THEBANVS

FR. Paſiclis F. Cratio, & Hipparchiæ ſororis Metroclis Maronitæ, dequibus in Cynicis. Hujus auditor

STILPO MEGARENSIS

Claiſſimus philoſophus, qui &. Euclidem audiſſe, atque Diogenem multo-

rum opinio eſt. (Laërtius non Euclidem ſed quoſdam ex ejus familia tradit.) Quibus adde Thraſimachum Corinthium illum, qui Ichthyæ familiaris, ut apud Laërtium Heraclides tradit. Stilponis meminit ſumma cum laude libro de Fato his Cicero, verbis: *Stilponem Megaricum philoſophum, acutum ſanè hominem, & probatum temporibus illis accepimus. Hunc ſcribunt ipſius familiares, & ebrioſum, & mulieroſum fuiſſe: neque hoc ſcribunt vituperantes, ſed potiùs ad laudem: vitioſam enim naturam ab eo ſic edomitam, & compreſſam eſſe doctrina, ut nemo unquam vinolentum illum, neque in eo libidinis veſtigium viderit.* Onetor Laërtio lib. 2. citatur, ut de Stilpone agens, niſi mavis, & de cœteris eum egiſſe, quod mihi haud exploratum. Auditorem Stilpo habuit Philiſtum Æginenſem qui literas docuit Alexandrum Magnum, de quo, & in Cynicis mentio, multóſque alios, quos vel uno dempto Dryſone ingens ſui nominis fama hinc inde Gymnaſijs avulſit, ut apud Laërtium teſtatur Philippus Megaricus, ubi nobile ejus fragmentum affert, quo refert.

fertur, ut Stilpo à Theophraſto Metrodorum & Timagenem Geloum: ab Ariſtotele Clitarchum, & Simmiam: ab Ariſtide Pœonium: ab Euphanto Diphilum Boſporianum Mirmacémque: Phraſidemum item Peripateticum, Phyſicúmque peritiſſimum Alcimum oratorem omnium, qui in Græcia tùm floruêre illuſtrem, Cratem Phœnicémque Zenonem (Phœnix dictus eſt Zeno Cyttiæus, quamvis ex Cypro Græca civitate, quod Phœnices accolæ eſſent) & alios complures in ſua retia induxit. Præterea Demetrius Antigoni F. qui Megara cepit Stilponis ſtudioſus, & auditor evaſit. Quare vel unus

DRYSO F. MEGARENSIS

à puero fuit auditor perpetuuſque comes, cui aliquando Pyrrho Elienſis operam dedit, ſummus incomprehenſibilitatis patronus. Alter Euclidis auditor, & qui ſibi ſucceſſit

EVBVLIDES MILESVS

Cui Demoſthenem operam dediſſe in

dialecti is aliqui produnt; imo cùm Demoſthenes pronunciare non poſſet *r*, Eubulidem jugi exercitio eum emendaſſe Laërtius teſtatur lib. 2. in Euclide. Quintilianus lib. pr. Inſtit. Orator, atque ex eo C. Rhodiginus lib. XIII cap. pr. Lectionum antiquarum, quem Eubulidem æqualem fuiſſe Iſocratis, ex eo Voſſius lib. pr. Hiſt. r. Græcor. cap. VIII deducit, quod fuerit Euclidis Megarenſis diſcipulus, ejus quem Plato etiam, ut diximus, poſt Socratis mortem audivit. Porrò Eubilides inimico erga Ariſtotelem animo fuit; eúmque in plurimis reprehendit, uti & diſcipulus ejus, Alexinus Elienſis, infeſtus erat Zenoni, Eubulidis diſcipulus fuit Euphantus Olynthius, qui Antigonum primum Macedoniæ Regem edocuit, qui Demetrius F. erat, nepos Antigonus Gonatas, ut ſcribit lib. 2. in Euclide Laërtius, & Diphilum Boſporanum, qui ad Stilponem tranſiit Ebulidis præterea auditor fuit

ALEXINVS ELIENSIS

A quo ſecta Olympica. Meminit Cicero Alexini lib. 2 Academ. quæſt quem minutum philoſophum appellat. *Atque habebam moleſtos nobis, ſed minutos Stilponem, Diodorum Alexinum: quorum ſunt contorta, & aculeata quædam ſophiſmata Sic enim appellantur fallaces concluſiunculæ* Ejus aliquando auditor Dionyſius Heracleota Metathemenes vocatus diſcipulus Zenonis Cytiæj. Inſuper Eubulidem audivit

APOLLONIVS CYRENEVS

cognomento Cronus. Cujus, ut & ejus auditoris Diodori meminit Strabo lib. XIV. *Hinc fuit Diodorus dialecticus cognomento Cronus in initio quidem falſo: Nam Appollonius ejus præceptor Cronus diceba- tur, ſed propter veri Croni obſcuritatem, nomen in Diodorum tranſlatum eſt.* Appollonij igitur auditor

DIODORVS IASSIVS

Fuit, eique in ſcholæ adminiſtratione

ſucceſſor. Cujus quidem, ut & præceptoris non ſolùm lib. XIV meminit Strabo, ſed utriuſque etiam lib. XVII, quo loci illuſtres ex Cyrene memorat viros, dicens: *Cronus Appollonius hinc etiam fuit Diodori dialectici magiſter, qui & ipſe Cronus dictus eſt, Magiſtri adjectivo in diſcipulum tranſlato.* Quem tamen Diodorum, & Euclidem audiſſe aliqui produnt, & dictus eſt dialecticus, quod primus involu um diſſerendi genus invenerit, ut Laërtius ſcribit lib. 2. Apud Ptolomæum Soterem aliquandiù commoratus eſt, apud quem quid ſibi inter epulas cum Stilpone acciderit pete à Laërtio loco citatò. Porrò à Diodoro hocce Euclidis alumni, qui primò Megarici, deinde Eretriaci, dicti ſunt dialectici. Cujus floruerit ævo ſatis clarè patet ex dictis: nempe Ptolomæj Soteris, ſive Lagi. Quem aliquando, & audivit Zeno Sydonius (alius hic, ut liquidò conſtat ab Epicureo, hic enim teſte Suida ſtoicus fuit, ac Cyttiæj magiſter aliquibus creditus. Sed næ illi vehementer falluntur. Quî enim fieri poteſt, ut ſtoicus vocari poſſit præceptor ejus

ejus Zenonis, qui hæreſim primus condidit ſtoicam? Quare cum Laërtio aliiſque paſſim diſcipulum contrà Cyttiæj ſuo loco nos quoque ſignavimus. (Videat, Lector, judiciumque ferat.)

CAPUT IV.

DE MAGISTERIO PYRRHONIS ELIENSIS A QUO PYRRHONII SEQUACES APORETICI, SCEPTICI, ZETETICI, EPHECTICI.

PAtria Pyrrho fuit Elienſis, Dryſoniſque Stilponis F. auditor, ut apud Laërtium lib. IX. Alexander teſtatur; imò ſi alios audias ipſum Stilponem. Deinde Anaxarcho Abderitæ operam dedit, quin Phædoni Elienſi concivi ſuo ut ex Galeno, ſeu mavis Ætio, ſuprà dicebamus. Quamvis autem, & Anaxarchum audierit, qui diſcipulus Metrodori Chij ſectæ Eleaticæ profeſſoris, quæ ut videbimus, Italicæ ſubjicitur, negari tamen non poteſt Pyrrhonem Ionicæ philoſophiæ fuiſſe alumnum, ac

cultorē interque Socraticos planè annumerādum. Cicero lib. 3. de Oratore, recenſitis principibus Philoſophorum ſectis, ſubjungit: *Fuerunt etiam alia genera Philoſophorum, qui ſe omnes ferè Socraticos eſſe dicebant Eretricorum, Herilleorum, Megaricorum, Pyrrhoneorum, ſed ea horum vi, & diſputationibus ſunt jam diu fracta, & extincta.* Prætereà Gymnoſophiſtas in Indiam adiit, Magiſque congreſſus eſt; tantus litetarum ſibi quæſtum faciendi extitit ardor. Nonnulli in ea fuêre ſententia, ut ſcepticæ Philoſophiæ fuerit Pyrrho inventor. Alij ejuſmodi ſectæ Soeratem fundamenta jeciſſe volunt. Hornius lib. 3. Hiſtor. Philoſoph. cap. XVIII. *Quamvis enim Socrates non adeo exertim Pyrrhonius fuerit, tamen ejus ſectæ fundamenta poſuit illa mirabili ironia ſua: qua uſus ſcire ſe nihil dicebat præter hoc ipſum, quod nihil ſciret.* Alij hanc laudem Homero deberi putant. Qui enim ejus ſcripta non oſcitanter evolverit maniſeſtè comperiet, aliàs aliter loqui, certi nihil enunciare de rebus, aſſenſum cohibere, ac retinere ſententiam, atque ita Laërtius lib. IX. in Pyrrhone.

Nec

Nec poſt Homerum ante tamen Pyrrhonem latuit hæc ſententia Xenophanem Colophonium, ut ex iis, quæ affert Laërtius, non obſcurè colligitur; unde Sotion Xenophanem aſciſcit parentem. Quid aliud docuêre, & Scytha Anacharſis Pyrrhone tempore prior, & Heraclitus Epheſius cognomento Scotinus ejuſque Cratyllus auditor? De varia hujuſce Philoſophiæ appellatione legendus A. Gellius lib. XI. Noct. Att. cap. V. & in Pyrrhone Laërtius, qui in hac ſecta explicanda ſanè multus; dicti ſunt ſequaces Pyrrhonij, Aporetici, Sceptici, Zetetici, Ephectici. Pyrrhonij quidem ab auctore; Aporetici, quod ſemper addubitent; Sceptici, quod ſemper quærant, & nunquam inveniant. Zetetici, quod ſemper in veritatis inveſtigatione verſentur. Ephectici ab eventu, quod poſt inquiſitionem contineatur aſſenſio. Sed doctè hanc ſectam imprimis tractat Sextus Empiricus libris adverſus mathematicos, & Hypotypoſeon, & Ioannes Franciſcus Picus Mirandula magni illius Ioannis Pici nepos. Adde Phavorinum, qui referente amico Gellio loco cit., ſubtiliſſimè, & argutiſſi-

mè decem compoſuit libros, quibus Pyrrhoniorum modos omnes concluſit. Æneſidemi Pyrrhonij etiam VIII. Legimus libros, in quibus ea mens auctori, illudque operis argumentum eſt, nihil tuto à nobis ſciri, nihil certi, neque cenſu, neque intellectu comprehendi. Vide Photium in Biblioth. pag. 548 æditionis Rhotomagenſis, à quo proculdubio Antonius Poſſevinus, quæ de hoc argumento habet in Apparatu ad Philoſophiam tract. 3. cap. XII, deſumpſit. An autem, & quantum inter Pyrrhonios, & Academicos philoſophos interſit, videndus A. Gellius loco cit. atque ex eo Hornius lib. 3. Hiſtor. Philoſop. cap. XVIII. Vixit Pyrrho iiſdem temporibus, quibus Theophraſtus, imo Epicurus Athenienſis, & Zeno Cyttiænſis philoſophi celebres, qui proculdubio coævi, ut & habet A. Gellius lib. XVII. cap. XXI. Et Magnum illis nomen ſub Ptolomæo Lagi F. primo Ægiptiorum Rege. Quo quidem tempore, & Antigonus Caryſtius vixit, & ultra ſub Ptolomæo Philadelpho vitam etiam produxit; nam ſcribens vitam Timonis, ut ex Laërtio lib. IX. habemus,

teſtatur

teſtatur Timonem Antigono Regi, & Ptolomæo Philadelpho, carum fuiſſe. Nec ſolùm vitam Timonis, ſed etiam Pyrrhonis in literas retulit, ut Ariſtocles antiquiſſimus ſcriptor ait apud Euſebium lib. XIV. Præparationis Evang. cap. VII, qui nobile ejus fragmentum de Pyrrhone, & ejus philoſophia, nobis conſervavit. Imò prodidit vitas Polemonis, Antipatri, Menedemi, Dionyſij Heracleotæ Metathemeni, Lyconis, & Zenonis, ut ex variis Athenæj locis liquido paret. Pyrrhonis auditores fuêre Hecatæus Abderita, quem cum Alexandro Magno enutritum, & cum Ptolomæo Lagi commoratum Fl. Ioſephus teſtatur lib. pr. contra Apionem, qui planè alius ab Hecatæo, cujus meminit idem Ioſephus lib. pr. Antiquitatum Iudaicarum cap. 3., ſive aliis cap. VIII, qui Mileſius, Hegeſandri F. floruitque initio regni Darij Hiſtaſpidæ Olymp. LXIV, ut ex Suida conſtat. Æneſidemus ſecundùm aliquos atque Numenius. Eurylochus, Philon Athenienſis, qui & Pyrrhoni neceſſarius erat. Nauſiphanes Tejus, cujus

cujus Epicurus ad aures eliquorum, auditor, atque

TIMON PHLIASIVS.

Alius ab Athenienſi, qui & Miſanthropos, atque Nicæno Apollonidis F. qui opus Tiberio Cæſari dicavit. Phliaſius philoſophus fu t, poëta & orator, Antigono Regi, & Prolomæo Philadelpho maximè notus, & carus. Hic præter alia multa ſillos ſcripſit, quos tribus libris comptehendit, in dogmaticos Philoſophos, cùm ſcepticus eſſet. (Silli autem erant ſcommata, & irriſiones ſalſiſſimæ, de quibus vide Heinſium lib. 2. de ſatyra Horatiana) Timonis auditores fuëre, Dioſcorides Cyprius, Niolochus Rhodius, & Praylus à Throade, atque

XANTHVS F.

Qui medicinam docuit, quémque inſtituti ſui Timon ſucceſſorem reliquit. Inſuper.

EPHRA-

EPHRANOR SELEVCIVS

Qui præceptori Timoni poſt Xanthum F. ſucceſſit, Hippoboto, atque Sotione auctoribus nobis. Quamvis in Timone Pyrrhonis defeciſſe inſtitutum Menodotus affirmet. Euphranorem audivit Eubulus Alexandrinus, quem Ptolomæus Cyreneus, quem Sarpedo & Heraclides. Hunc Æneſidemus Gnoſius, cujus libros VIII. legimus Pyrrhoniarum rationum. Æneſidemum audivit Zeutippus Polites, Zeutippum Zeuſis dictus Gonopis. Hunc Antiochus Laodicemus ex Lyco, quem Meñodotus Nicomedienſis medicus Empiricus, & Theodas Laodicenus. Menodotum Herodes, vel, ut alij ſcribunt, Herodotus Tarſenſis Ariei F. quem Sextus Empiricus, cujus ſunt decem illa volumina, aliáque pulcherrima. Nonnulli eundem putant Sextum Chæronenſem, qui ex Plutarchi ſorore natus fuit, præceptor M. Antonini philoſophi, ut in ejus vita tradit Iulius Capitolinus. Qui, & audivit Herodotum Philadelphæum ſectam Pyrrhoniam ſequentem.

Et

Et hunc demum Saturnius cognomento Cythenas, & ipſe Empiricus. Seriem hanc Laërtio debemus, acceptamque ultro ferimus. An non par? Nimirum Plinius præfatione ſua ad Veſpaſianum dicebat: *eſt enim benignum* (*ut arbitror*) *& plenum ingenui pudoris, fateri per quos profeceris.* Porrò uti ſecta Epicurea, ita hæc quoque, ſed diſpari ratione valde, contraria cenſetur Chriſtianæ religioni. Hinc Nicetas de ſe, & FR. Aquila in Epitome Clementis Romani de geſtis B. Petri inquit: *accuratè etiam ea inquiſivimus, quæ à philoſophis traduntur: præcipuè illa, quæ maximè repugnant pietati erga Deum: illa inquam Epicuri, ac Pyrrhonis, quo magis ea refellere poſſemus.* Nempe Nicetas quidem fuerat Epicureus: Aquila vero Pyrrhoniorum ſectator.

DE

DE MAGISTERIO *ANTIQVORVM* PHILOSOPHORVM

LIBER QVINTVS.

CAPUT PRIMUM.

DE MAGISTERIO PYTHAGORÆ, & SECTATORVM.

ALTERVM Philoſophiæ genus Italicum eſt, cujus auctor Pythagoras Samius vir egregiè doctus, & veterum æmulator, ut in Apologia Apulejus, Pherecidis Syrij

Syrij diſcipulus, ut ex Cicerone lib. pr. de Finibus habemus: *ne Pherecides quidem ille Pythagoræ Magiſter potius divinus habebitur, quàm Phyſicus, qui cùm vidiſſet hauſtam aquam de jugi puteo, terræ motus dixit inſtare.* Euſebius lib. x. Præparat. Evang. cap. 2. *Nam Pherecidem doctorem Pythagoræ Syrium omnes fuiſſe tradunt.* (Eſt autem Syra è Cicladibus inſulis una) Pherecides verò Pittaci auditor, ut Laërtius ſcribit lib. pr. in Pherecide, etſi ab que ullo magiſtro omnem philoſophandi rationem ſibi comparaſſe Pherecidem Heſychius Mileſius ſcribat cognomento Illuſtris vel Illuſtrius, ac vel ex eo Hieronymus Mercurialis lib. v. var. lect. cap. vi. Alij ex occultis Phœnicum libris eum hauſiſſe tradant, ut Suidas. Floruit Pherecides Thaletis Mileſij ſynchronos, ut ex epiſtolis ultro citròque miſſis apparet apud Laërtium lib. pr. Quin & magiſter fuit Thaletis Tzetze teſte Chil. 2. Hiſtor. Lv., qui & tradit vixiſſe circa olympiadem LIX, non LXIX, ut eſt apud interpretem, cùm tamen Laërtius lib. pr. Pherecidem fuiſſe dicat circa Olympiadem LXIX, atque ex eo Gerardus Ioan-

Ioannes Voſſius lib. pr. de Hiſtor. Græcis cap. pr. Cœterùm ſibi ſatis non conſtare in hac re videtur Laërtius, cum enim ex epiſtola Pherecidis ad Thaletem haud ægrè colligamus, Pherecidem ante Thaletem diem ſuum obiiſſe, cujus obitũ Laërtius in vita Thaletis ſignat olymp. LVIII. qui poſtea quæſo Pherecidis vitam deſcribens ait vixiſſe eum circa olymp. LXIX? Nimirùm ſi vera ſunt, quæ ipſemet anteà ſcripſerat, pluſquam decem Olympiadibus antè, obiiſſe eum neceſſe planè eſt. Non eſt autem hic ignorandum duos omninò Pherecidas fuiſſe, quem prædicimus, unum patria Syrium, phyſicum, atque theologum; alterum Athenienſem, qui & Lerius quibuſdam dicitur, hiſtoricus, atque ita ex graviſſimo, & doctiſſimo viro Strabone colligimus, qui lib. x, ait: *Syrus verò quando prior ſyllaba eſt porrecta, eſt inſula ea, in qua natus Pherecides Babyis filius, eo autem poſterior eſt Pherecides ille Athenienſis.* Qui cùm paulò ante olymp. LXXV. natus ſit, ut Suidas putat, Pherecide Syrio proculdubio junior eſt. Quare perperam aliqui unum cum altero con-

Syrij diſcipulus, ut ex Cicerone lib. pr. de Finibus habemus: *ne Pherecides quidem ille Pythagoræ Magiſter potiùs divinus habebitur, quàm Phyſicus, qui cùm vidiſſet hauſtam aquam de jugi puteo, terræ motus dixit inſtare.* Euſebius lib. x. Præparat. Evang. cap. 2. *Nam Pherecidem doctorem Pythagoræ Syrium omnes fuiſſe tradunt.* (Eſt autem Syra è Cicladibus inſulis una) Pherecides verò Pittaci auditor, ut Laërtius ſcribit lib.pr.in Pherecide, etſi ab que ullo magiſtro omnem philoſophandi rationem ſibi comparaſſe Pherecidem Heſychius Mileſius ſcribat cognomento Illuſtris vel Illuſtrius, ac vel ex eo Hieronymus Mercurialis lib. v. var. lect. cap. VI. Alij ex occultis Phœnicum libris eum hauſiſſe tradant, ut Suidas. Floruit Pherecides Thaletis Mileſij ſynchronos, ut ex epiſtolis ultro citròque miſſis apparet apud Laërtium lib. pr. Quin & magiſter fuit Thaletis Tzetze teſte Chil. 2. Hiſtor. LV., qui & tradit vixiſſe circa olympiadem LIX, non LXIX, ut eſt apud interpretem, cùm tamen Laërtius lib. pr. Pherecidem fuiſſe dicat circa Olympiadem LXIX, atque ex eo Gerardus Ioan-

Ioannes Voſſius lib. pr. de Hiſtor. Græcis cap. pr. Cœterùm ſibi ſatis non conſtare in hac re videtur Laërtius, cum enim ex epiſtola Pherecidis ad Thaletem haud ægrè colligamus, Pherecidem ante Thaletem diem ſuum obiiſſe, cujus obitū Laërtius in vita Thaletis ſignat olymp. LVIII. qui poſtea quæſo Pherecidis vitam deſcribens ait vixiſſe eum circa olymp. LXXX? Nimirùm ſi vera ſunt, quæ ipſemet antea ſcripſerat, pluſquam decem Olympiadibus antè, obiiſſe eum neceſſe planè eſt. Non eſt autem hic ignorandum duos omninò Pherecidas fuiſſe, quem prædicimus, unum patria Syrium, phyſicum, atque theologum; alterum Athenienſem, qui & Lerius quibuſdam dicitur, hiſtoricus, atque ita ex graviſſimo, & doctiſſimo viro Strabone colligimus, qui lib. x, ait: *Syrus verò quando prior ſyllaba eſt porrecta, eſt inſula ea, in qua natus Pherecides Babyis filius, eo autem poſterior eſt Pherecides ille Athenienſis.* Qui cùm paulò ante olymp. LXXV. natus ſit, ut Suidas putat, Pherecide Syrio proculdubio junior eſt. Quare perperam aliqui unum cum altero con-

Et hinc demum Saturninus cognomento Cythenas, & ipſe Empiricus. Seriem hanc Laërtio debemus, acceptamq́ue ultro ferimus. An non par? Nimirum Plinius præfatione ſua ad Veſpaſianum dicebat: *eſt enim benignum* (*ut arbitror*) *& plenum ingenui pudoris, fateri per quos profeceris.* Porrò uti ſecta Epicurea, ita hæc quoque, ſed diſpari ratione valde contraria cenſetur Chriſtianæ religioni. Hinc Nicetas de ſe, & FR. Aquila in Epitome Clementis Romani de geſtis B. Petri inquit: *accuratè etiam ea inquiſivimus, quæ à philoſophis traduntur: præcipuè illa, quæ maximè repugnant pietati erga Deum: illa inquam Epicuri, ac Pyrrhonis, quo magis ea refellere poſſemus.* Nempe Nicetas quidem fuerat Epicureus: Aquila vero Pyrrhoniorum ſectator.

DE

DE

MAGISTERIO

ANTIQVORVM

PHILOSOPHORVM

LIBER QVINTVS.

CAPUT PRIMUM.

DE

MAGISTERIO PYTHAGORÆ, & SECTATORVM.

ALTERVM Philoſophiæ genus Italicum eſt, cujus auctor Pythagoras Samius vir egregiè doctus, & veterum æmulator, ut in Apologia Apulejus, Pherecidis

Syrij

Syrij diſcipulus, ut ex Cicerone lib. pr. de Finibus habemus: *ne Pherecides quidem ille Pythagoræ Magiſter potiùs divinus habebitur, quàm Phyſicus, qui cùm vidiſſet hauſtam aquam de jugi puteo; terræ motus dixit inſtare.* Euſebius lib. x. Præparat. Evang. cap. 2. *Nam Pherecidem doctorem Pythagoræ Syrium omnes fuiſſe tradunt.* (Eſt autem Syra è Cicladibus inſulis una) Pherecides verò Pittaci auditor, ut Laërtius ſcribit lib. pr. in Pherecide, etſi àb que ullo magiſtro omnem philoſophandi rationem ſibi comparaſſe Pherecidem Heſychius Mileſius ſcribat cognomento Illuſtris vel Illuſtrius, ac vel ex eo Hieronymus Mercurialis l.b. v. var. lect. cap. vi. Alij ex occultis Phœnicum libris eum hauſiſſe tradant, ut Suidas. Floruit Pherecides Thaletis Mileſij ſynchronos, ut ex epiſtolis ultro citròque miſſis apparet apud Laërtium lib. pr. Quin & magiſter fuit Thaletis Tzetze teſte Chil. 2. Hiſtor. Lv., qui & tradit vixiſſe circa olympiadem Lix, non Lxix, ut eſt apud interpretem, cùm tamen Laërtius lib. pr. Pherecidem fuiſſe dicat circa Olympiadem Lxix, atque ex eo Gerardus Ioan-

Ioannes Voſſius lib. pr. de Hiſtor. Græcis cap. pr. Cœterùm ſibi ſatis non conſtare in hac re videtur Laërtius, cum enim ex epiſtola Pherecidis ad Thaletem haud ægrè colligamus, Pherecidem ante Thaletem diem ſuum obiiſſe, cujus obitũ Laërtius in vita Thaletis ſignat olymp. LVIII. qui poſtea quæſo Pherecidis vitam deſcribens ait vixiſſe eum circa olymp. LXIX? Nimirùm ſi vera ſunt, quæ ipſemet antea ſcripſerat, pluſquam decem Olympiadibus antè, obiiſſe eum neceſſe planè eſt. Non eſt autem hic ignorandum duos omninò Pherecidas fuiſſe, quem prædicimus, unum patria Syrium, phyſicum, atque theologum; alterum Athenienſem, qui & Lerius quibuſdam dicitur, hiſtoricus, atque ita ex graviſſimo, & doctiſſimo viro Strabone colligimus, qui lib. x, ait: *Syrus verò quando prior ſyllaba eſt porrecta, eſt inſula ea, in qua natus Pherecides Babyis filius, eo autem poſterior eſt Pherecides ille Athenienſis.* Qui cùm paulò ante olymp. LXXV. natus ſit, ut Suidas putat, Pherecide Syrio proculdubio junior eſt. Quare perperam aliqui unum cum altero con-

confundunt, hoc eſt, phyſicum cum hiſtorico, eorumque, quo quiſque vixerit, ævum. Inſuper gratis duos Pherecidas hiſtoricos invitos in literas invehunt, alterum Athenienſem, alterum Lerium, cùm unus idemque planè uterque ſit. Sed qui de his plura adeat Voſſium lib. IV. de Hiſtoricis Græc. cap. IV. qui pluribus rem hanc ad lancem expendit

PYTHAGORAS SAMIVS

Igitur, ſive Thyrrenus, ut alij ſcribunt, fuit ejus Philoſophiæ, quæ Italica dicitur, auctor, & parens. italica autem eſt dicta, quod in Italia docuerit eam; nam maxima Italiæ pars à varijs Græciæ populis antiquitùs inſeſſa erat, & propterea Italia major Græcia eſt appellata. Legendus Iuſtinus lib. xx, qui ait: *Prima Dionyſio militia adverſus Græcos, qui proxima Italici maris littora tenebant, fuit: quibus devictis, finitimos quóſque aggreditur, omnéſque Græci nominis Italiam poſſidentes, hoſtes ſibi deſtinat: quæ gentes non partem ſed univerſam fermè Italiam ea tempeſtate occupaverant.* Maximè

mè verò docuit eam Crotone magna frequentia, & nobilitate diſcipulorum, qui eo commigrabant diſciplinæ ſtudiorūque cauſſa, Lucani, Picentini, Meſſapij Romani: neque pauciores ſexcentis erant, qui noctu ad illum audiendum confluebant. Ab ætatis ſuæ primordijs Pythagoras, cùm eſſet ingenio acer & induſtria ſingulari, ſapientiæ, & honeſtatis arduum collem ingreſſus, natalis ſoli reliquit anguſtias, toto orbe peregrinus: ſiquidem Pherecide atque Hermodamante (Leodamante 2. Florid. libro ſcribitur Apulejo) Creophyli nepote, vel diſcipulo, ut Apulejo placet lococit. (cui etiam memoratur Creophylus poëtę Homeri hoſpes, & ęmulator canendi fuiſſe, quamvis aliqui Creophylum, quem perhibent patria Samium, Homeri magiſtrum fuiſſe dicant Alij illum honorem Ariſteæ & Præconneſio tribuant, quo tamen Homerus ſaltem ſæculo toto grandior fuit) Humanis exemptis, annos natus XVIII Anaximandrum acceſſit, ejúſque præceptorē Thaletem, qui tum ſenex erat, atque ab eo conſiliū accepit proficiſcendi in Ægiptum ad ſacerdotes Mēphiticos, & Dioſpolitanos,

quo inter cœteros Oenuphim Heliopolitam audiſſe tradit Plutarchus in lib de Iſide & Oſiride. Porphyrius quidem in vita Pythagoræ refert à Phœnicibus eum Arithmeticam, ab Ægiptiis Geometriam, à Chaldæis Aſtrologiam, didiciſſe. Quæ verò pertinent ad Deorum cultum, cœteráque ſtudia, quæ vitam reſpiciunt, à Magis audiſſe. Multum etiam debet Thracibus, ut prodit Hermippus Smyrnæus. Plurimum item Iudæis auctore FL. Ioſepho lib. contra Apionem. Sed adi Gerardum Ioannem Voſſium lib. de ſectis cap. VI, §. 2, 3, 4, 5, 6, & deinceps, qui docebit, unde quæque Phythagoras hauſerit Cretam etiam Spartámque inviſit, Minois, & Lycurgi, ut inſtituta luſtraret. Zaretam item Chaldæum audivit Pythagoras, ſecutúſque dicitur. Meminit Plutarchus in libro de creatione animæ ſecundum Platonem. Eruditi & elegantes Conimbricenſes lib. VIII, phyſ. cap. 2. q. 3. art. pr. Quin FL. Ioſephus ex Alexandro in libr de ſymbolicis Pythagoricis contra Apionem ſcribit eum Iudæj cujuſdam Nazarej diſcipulum fuiſſe. D. autem Ambroſius Pytthagoram genere

fuiſſe Hebræum, & Clemens Alexandrinus circumciſum fuiſſe auctores ſunt. Sanè filiæ ſuæ nomen Iudaicum impoſuit, quarum duas habebat, Saram, & Myiam, ut eſt apud Photium Cod. CCLIX. Miror Apuleium lib. 2. Florid. inſigni chronologiæ errore docere Pythagoram, & Platonem ſecutum, cùm liquidò conſtet Platonem multò póſt claruiſſe Pythagoram, Pythagoras enim, ut nuperrimè dicebamus, vixit circa Olympiadem LX, Plato autem octogenarius obiit olymp. CVIII, cùm tamen paulò poſt eodem lib. 2. Florid. dicat: *Plato, nihil ab hac ſecta vel paululum devius, Pythagorizat.* Valdè ſuſpicor Typographorum errorem eſſe. Nimirùm Euſebius lib. contra Hieroclem confut. libri primi: *Plato Pythagoricæ præter cæteras omnes diſciplinæ particeps factus eſt.* Quamobrem lib. XIV. Præparat. Evang. cap. 2. ait *Platonem ipſum in ſe ipſo conſiderantes Pythagoreum appellamus.* Sed quid pluribus in re maximè aperta, & à ſcriptoribus paſſim decantata? Inſuper fertur Cretenſem Epimenidem, inclitum fatiloquum, & Poetam, di-

ſciplinæ gratia ſectatus. Aliqui & Zoroaſtrem Magum, qui Zarades etiam dictus eſt. Cujus quidem rei teſtes luculentiſſimi ſunt Theodoretus ſerm. IX, & Agathias hiſtor. 2. *Certè Pythagoram Zoroaſtris ſectatorem plerique, ut docet Apulejus, ſunt arbitrati, atque illum, cujus doctrinam amplectebatur philoſophus, preceptorem ejus poſteritas forſam æſtimabat. Audire Zoroaſtrum non potuit, quippe eo aliquot ſæculis poſterior.* Hæc Seldenus. Georgius Hornius lilb. 2. Hiſtor. Philóſoph. cap. VI plures fuiſſe Zoroaſtres putat indici námque præbere Apulejum Florid lib. 2. dicentem. *Zoroaſtrem omnis divini arcani antiſtitem Pythagoræ præceptorem fuiſſe.* Qui planè alius eſt ab illo qui tẽporibus, vel Abrahami, vel Moſis vixit aliquot ante Pythahoram ſæculis. Niſi tamen intelligas ibi, Pythagoram dogmata Zoroaſtris amplexum, ut Seldenus exponit. Quibus omnibus, & alijs ſummorum virorum præceptionibus inſtructus, magníſque ſapientiæ incrementis ornatus, tanquam ex mercatura bonarum artium in Italiam tranſmittens Crotone conſedit (quia Sami Polycrates

lycrates, ubi natus Pythagoras, tyrannidem jam occuparat) ludumque aperuit, ubi bacchantem in vitia populum, non modo literis, ſed bonis artibus inſtituit. Accipe ejus ex Iuſtino lib. xx præclara ad virtutem documenta, incitamenta: *Laudabat quotidie virtutem, & vitia luxuriæ, caſúſque civitatum ea peſte perditarum enumerabat; Tantúmque ſtudium ad frugalitatem multitudinis provocavit, ut aliquos ex his luxuriatos incredibile videretur. Matronarum quoque ſeparatam à viris doctrinam, & puerorum à parentibus frequenter habuit. Docebat has pudicitiam, obſequia in viros; nunc illos modeſtiam, & literarum ſtudium. Inter hæc velut genitricem virtutum frugalitatem omnibus ingerebat, conſecutúſque diſputationum aſſiduitate erat, ut matronæ auratas veſtes, cætoráque dignitatis ſuæ ornamenta, velut inſtrumenta luxuriæ deponerent, eáque omnia delata in Iunonis ædem ipſi Deæ conſecrarent, præ ſe ferentes, vera ornamenta matronarum pudicitiam, non veſtes eſſe. In juventute quoque quantum profligatum ſit, victi fœminarum contumaces animi manifeſtant.*

Quæ quidem Pythagoræ documen ac leges, civitatis Crotonæ reformati nem eleganter ſanè, & Franciſcus Petrarcha refert, atque deſcribit lib. 3. Rerum memor. tract. 2. cap. XL. Sed Iuſtini nomine, à quo plane hauſit ſuppreſſo. Sed cùm CCC. Iuvenibus, qui Pythagoræ preceptionibus maximè operam dabant, ſodalitij jure ſacramento quodam nexi, ſeparatam à cœteris civibus vitam agerent, quaſi cœtum clandeſtinæ conjurationis haberent, civitatem in ſe converterunt, quæ eos, cùm in unam domum conveniſſent, cremare voluit. In quo tumultu LX fermè periêre, cœteri in exilium profecti. Quare Pythagoras, qui annos XX Crotonæ egerat, Metapontum migravit, ibique deceſſit. De cujus tamen mortis genere variæ fuerunt veterum ſententiæ, ut videre eſt in ejus vita apud Laërtium lib. VIII. Iuſtinus quidem loco cit. tantæ apud Metapontinos admirationis fuiſſe tradit, ut ex decedentis domo Templum facerent, eumque pro Deo colerent. Sanè multa in eo virtutum ſpecimina extitiſſe negari non poteſt.

teſt. Non enim audeo dicere virtutes, cùm videam planè hoc Theologis minimè probari, qui docent nullam veram virtutem in ethnicis Philoſophis fuiſſe. Et probè quidem. Nam D. Auguſtinus qui tenet, tenebitque ſacrarum literarum imperium, lib. IV. contra Pelagianum, cap. IV. *Sed abſit*, inquit, *ut ſit in aliquo vera virtus, niſi fuerit juſtus; abſit autem, ut ſit juſtus verè, niſi vivat ex fide, juſtus enim ex fide vivit.* Vide item eundẽ lib. XIII de Trinitate cap, XX ad calcem. Libro verò primo Retract. cap. 3. tamquàm perperàm dictum retractat, philoſophos non vera pietate præditos, virtutis luce fulſiſſe. Quem prorſus audio ſanctiſſimũ ac juxta doctiſſimũ Antiſtitem. An non illud ſingularis in Pythagora virtutis ſpecimen fuit, rarum modeſtiæ exemplum (ſuperbia enim videtur commune Philoſophorum vitium) renuiſſe eum, ſpreviſſe titulos, quibus cœterj, quà ſuperiores, quà ſynchroni maximè inhiabant, in eiſque impendio ſe complacebant, non ſecùs, ac Polycrates in annullo ſuo, quibus & ipſe, & qui de jure meritoque poterat uti? Quis hu-

manarum literarum adeò rudis, quem fugiat, ſapientes olim dici ſolitos, qui magnarum rerum intelligentia, & doctrina cœteris præſtare videbantur? Lege Ariſtotelem lib. VI. Ethic. cap. VII, magnumque ejus præceptorem Platonem, qui in eandem ſententiam pluria luculenter ediſſerit, cujus verba refert Euſebius lib. XII. Præparat. Evang. cap. XX, & tamen contrà Pythagoras videns ſapientis nomen majus quid eſſe quàm quod homini convenire poſſit, ſpeciem arrogantiæ præ ſe ferre, ac multis fuiſſe invidioſum, ſapienter non ſapiens, ſed philoſophus, hoc eſt, ſapientiæ ſtudioſus, appellari voluit. Quod ſanè vocabulo quis non ſingularis modeſtiæ fidem eum feciſſe ibit inficias? Qua de re legendus eſt ſermo, quem Pythagoras habuiſſe dicitur, cum Leonte Phlyaſiorum principe, quem ſanè eleganter Cicero perſcripſit in V. Tuſculana. Cujus quidem modeſtiam poſteri ad unum omnes imitati ſunt, undè Philoſophi Philoſophiæque nomen latè increbuit. Nec à Pythagoricis solùm, ſed etiam Platonicis, & eorum æqualibus, poſteriſque

riſque omnibus communi fuit approbatione uſitatum. De cujus quidem vocabuli novitate meminit Cicero lib. v. Tuſc. Lactantius lib. 3. divin. Inſtit. cap. 2. & lib. iv. cap. pr. Plutarchus de placitis Philoſophorum cap. 3. Laërtius lib. viii. in Pythagora. Iamblichus de ſecta Pythagorica lib. pr. Ex Patribus verò D Auguſtinus lib. xiv. de Trinitate cap. pr. & lib. viii. de civit. Dei cap. 3. Clemens Alexandrinus lib. pr. ſtrom. Euſebius in Chronico, & lib. x. Præparat. Evang. cap. 2. & alij non pauci. Et quidem ſapientis nomen majus quid eſſe videtur, quam quod homini competere poſſit. Plato in Phædro: *Sapientis nomen magnum eſt, ſolique Deo convenit.* Quod & Thales multò antè faſſus eſt. Cùm enim tripos à piſcatoribus inventus, & jubente Delio, ipſi ut ſapienti dono miſſus eſſet, ipſe conſecravit Apolloni dicens cum Auſonio

Nam ſi ſapientem deligi Phoebus jubet,
Non hominem quemquam, ſed Deum credit decet.

viros autem (ſequitur Plato loco cit.) *quos nunc deſcripſimus* (deſcripſerat au-

tem Pythagoram,& Timæum) *convenientius, modeſtiúſque Philoſophos nuncupavimus.* Sed Calamum jam ad ejus auditores convertamus, quos modò ſexcentos fuiſſe, qui noctu ad illum audiendum confluebant, dicebamus. Trecenti ferè erant, qui Rempublicam adminiſtrabant, ab ejuſque ore pendentes, inſtituebantur. Quorum nomina tædet ſcriptorum injuria, an incuria? periiſſe. Quid mirum, cùm & ipſi perièrint ſcriptores Sanè longè plures de familia Pythagoræ, Pythagoricáque ſecta, ac Pythagoricis ſcripſêre, quàm de qualibet alia familia. Heraclides Ponticus, Ariſtoxenus, Neanthes Cyzicenus, Ariſtoteles Androcydes, Antiphanes, Numenius, Alexander, Cronius, Thraſyllus, Plotinus. Adde Hermippum Smirnæum, qui citatur FL. Ioſepho lib. pr. contra Apionem in p. de Pythagora; Didymum, qui librum de Philoſophia Pythagorica fecit, ut auctor eſt eſt Clemens Alexandrinus lib. pr. ſtrom. Moderatus Gaditanus lib. v. de ſcholis, ſivé diſſertationibus Pythagoricis quorum meminêre Porphyrius apud Euſebium

bium lib. xvi Hiſtor. Eccleſiaſt. cap. xix, & D. Hieronymus in Apologia adverſus Rufinum, ac inter eos reponit, quos imitatus ſit Iamblichus, ut mirum ſit Iamblichum ejus nuſquam memeniſſe. Hierocles, Thimæus Locrus Pythagoræ auditor, Lycon Iaſenſis Athenæo memoratus lib. x. cap. 3. Dipnoſoph. Pythagoræ vitam memoriæ tradidère. Cùm tamen hodie ſola extet quam ſcripſit Laërtius, quam Malchus, ſive Porphyrius, & Iamblichus. Tanta eſt Croni illius patris voracitas, ut nihil non planè abſumat, ac voret. Habeat igitur Lector, qui maximè apud ſcriptores recenſentur illuſtres. hic à me ſynopſim. Et prior eſto Archytas Tarentinus, qui Platonem, adverſus Dionyſij inſidias præſtitit incolumem, Tarentique princeps emicuit teſte Strabone lib. vi. magnus in omni virtutum genere, ſed in mathematicis ſanè quàm præclarus. Cujus in Geometria, & Plato auditor. Damon, ac Pythias, ut aliquorum ſen-tententia eſt, quorum illuſtre apud Valerium Maximum lib. iv. cap. vii amici-

tiæ extat exemplum. Cujus & meminit Cicero lib. 3. de offic. & alibi. Plutarchus, Lactantius lib. v. cap. XVIII. Higinius, & alij. Atque is Archytas eſt, qui ligneam columbam arte mechanica volatilem fecit, de qua Favorinus apud A. Gellium lib. x. cap. XII. & C. Rhodiginũ lib. 2. lectionum Antiquarum cap. XVII. Quem patrnm noſtrorum ſæculo æmulatus eſt Rogiomontanus, ut innuit Hornius lib. 3. Hiſtor. Philoſoph. cap. XII. Meminit. Archytæ Cicero tum alijs inlocis, cùm de ſenectute, ubi nobile ejus orationis contra voluptatem fragmentum affert, magnumque ac præclarum virum eum appellat. De cujus Philoſophia libros tres ſcripſit Ariſtoles. Eudoxus Cnidius, cujus item in Geometria Plato auditor, ut Platonis contrà in philoſophia Eudoxus, & meminit Cicero lib. 2. de divinat. fuitque Platonis, cùm Ægiptum luſtravit, peregrinationis comes ibique uterque cum ſacerdotibus XIII. annos verſatus, ut ex diſcimus Strabone lib. XVII. Medicinæ etiam operam dedit, in qua Philiſtione ſiculo uſus eſt præceptore, cui

tribu-

tribuunt librum Hippocratis de Diæta. Et hic alius profectò ab Eudoxo Cnidio medico, ut ex Laërtio liquidò conſtat lib. VIII. in Eudoxo. Leges ſcripſit, unde legumlator paſſim à ſcriptoribus nominatur. Ad hæc alia, ac inter cœtera Faſtos ſignificat lib. X. Lucanus, qui Ceſarem in convivio Cleopatræ gloriantem facit;

Nec meus Eudoxi vincetur faſtibus annus

nimirùm in Aſtrologia judicio doctiſſimorum hominum fuit Eudoxus facilè princeps, nec in Geometria ulli ſecundus, quam ab Archyta, cujus fuit auditor feleciter hauſit, & auxit. Annum agens LIII. ex hac vita deceſſit circa Olymp. CIII. æqualis Philiſti Naucratitæ, vel ſecundùm alios Syracuſani, Archonidæ F. Eveni elegiaci poëtæ diſcipuli. Auditores Eudoxo, Menechmus Proconneſius & Chryſippus Cnidius Erinei F. in his quæ de Dijs, de mundo, de cœleſtibus docentur: nam in Medecina Philiſtioni Siculo adhæſit. Chryſipum audivit Ariſtagoras F. Hunc verò Chryſippus Æthlij, quorum præter nomen cœtera planè ignorantur. Py-

thagoram audiêre Hippaſus Metapontinus vir doctiſſimus, qui tamen nihil ſcripſit, ut ait Demetrius in Homonymis. Alcmæo Crotoniata, qui primus phyſica ſcripſiſſe Phavorino in omnimoda hiſtoria videtur, ac Clementi Alexandrino lib. pr. ſtrom. animam immortalem dixit, moverique perpetuo inſtar ſolis. Meminit pluribus in locis Cicero, ſed maximè lib. pr. de natura Deorum quo loci habet: *Crotoniates Alcmæo, qui ſoli, & lunæ, reliquiſque ſyderibus animoque præterea divinitatem dedit, non ſenſit ſeſe mortalibus rebus immortalitatem dare.* Ætatem unà cum Pythagora jam ſene egit Ariſtotele teſte. Aſto item Crotoniata Pythagorã audivit, atque Epicharmus Siculus, Tityri, ut Suidas ſcribit, vel Chimari F. meminit ejus Cicero lib. pr. Tuſcul. ubi virum acutum eum appellat; & lib. pr. epiſt. ad Att. De petitione verò conſulatus ad M. Tullium Fratrem præclaram ejus memorat ſententiam dicens: *Epicharmi illud teneto, nervos, atque artus eſſe ſapientiæ, non temerè credere.* Ex ejus libris complura Plato tranſcripſit, ut apud Laërtium lib. 3.

in

in Platone Alcimus teſtatur, fuit enim Epicharmus vir doctiſſimus, quem olim velut ſolem inter ſydera, & mare inter amnes, ita excellere inter homines eruditione fama tenuit. Quod epigramma ejus ſtatuæ inſcriptum, relatum à Laërtio lib. VIII ſanè exprimit eleganter.

Quantum ſol vincit ſublimis ſydera cœli
Quantò vis pelago major ineſt fluvijs,
Tantum ego profiteor ſophia præſtare Epicharmum,
Cui Syracuſa comis patria ſerta dedit.

Calliphon Cronotiata Pythagoræ fuit auditor, de quo vita functo, Hermippo apud Fl. Ioſephum lib. pr. contra Apionem, referente, Pythagoras dicere ſolebat: illius animam ſecum degere die noctúque. Lyſis Tarentinus, qui Thebanum Epaminondam erudijt, citharizare doctum à Dionyſio, carmina cantare ab Olympiodoro, & Orthogora, ut ſcribit Athenæus lib. 4. cap. XXV. Iuſtinus lib. VII. vocat Epaminondam *ſummum & Philoſophum, & Imperatorem.* De eodem antè dixerat lib. VI. *Iam literarum ſtudium, jam Philoſophiæ doctrina tanta, ut mira-*

mirabile videretur; unde tam inſignis militiæ ſcientia homini inter literas nato. Ejus, & Pelopidæ philoſophi item Pythagorici, vitas conſcripſit Xenophon Athenienſis Pythoſtrati illius FR; qui Theſeidos poëma compoſuit. Lyſis, & Archyppus, teſte D. Hieronymo, Thebis in Græcia ſcholas habuêre, memoritérque doctoris præcepta tenentes, ingenio utebantur pro libris. Lyſidis ſunt aurea carmina, quæ Pythagoræ aliqui tribuunt, alij Philolao. In ea pulcherrimus ſupereſt Hieroclis Hyllarimenſis commentarius, qui ſtoicus quidem fuit, ſed Pythagoreorum mentem optimè expreſſit: Lyſidis verò pulcherrima eſt ad Hipparchum epiſtola, quæ extat apud Beſſarionem lib. pr. contra calumn. cap. 2. Ocellus Lucanus Pythagoram audivit, cujus de univerſi natura librum è græco in latinum vertit Lodovicus Nogarola comes Veronenſis, annotationibuſque illuſtravit. Philolaus Crotoniata, qui in Pythagorica diſciplina, doctor fuit Platonis, ut lib. 3. in Platone ſcribit Laërtius, quique ignotum ad ejus uſque tempus Pythagoræ dog-

dogma, tribus libris aperuit, quos Plato centum minis ſibi per literas emi curavit, A. Gellio auctore lib. 3. cap. XVII. Cicero lib. tertio de oratore docet: Philolaum Crotoniatam Archytam Tarentinum audiſſe, ejuſque diſcipulum fuiſſe. Philolao auditores Amyclas, & Clinias, quem Xenophon adamavit, ut Ariſtippus apud Laërtium lib. 2. teſtatur. Ambo prohibuêre Platonem Democriti quæ collegerat, commentaria comburere. Pythagoram item audivit Philolaus alter patria Tarentinus, cujus auditores Planton, Echecrates. & Diocles, & Polymnatus Phliaſij omnes, qui tamen & Tarentinum Eurytum audiêre. Philolai præterea, & Euryti Tarentinorum auditor fuit Xenophilus Chalcidenſis ex Thuria, biennio minor Gorgia Leontino, qui CVII. vixit annos, ſed felicitate non inferior; ſiquidem Ariſtoxeno auctore, omnis humani incommodi expers in ſummo perfectiſſimæ ſplendore doctrinæ extinctus. Meminit Plinius lib. VII. natur. hiſtor. cap I. Valerius Max. lib. VIII. cap. XIV. cujus auditor Ariſtoxenus Tarentinus vir in omni diſci-

pli-

plinarum genere illuſtris, ut ejus præclara ingenij monumenta ſatis declarant, philoſophica, muſica, hiſtorica, quæ librorum numerum efficiunt CCCCLIII, auctore Suida. Pluribus in locis memoratur Porphyrio in Pythagoræ vita, in qua illud inter cœtera commemorat, ut Ariſtoxenus ipſe Dionyſium juniorem, qui Siciliæ tyrannus fuerat, audierit narrantem ea, quæ de vadimonio Damonis pro Pythia, vel Phintia præſtito tam multi veterum prodiderunt, quorum aliquos ſuprà memoravimus. Inter tot tantaque ingenij monumenta, nihil celebratius opere de vitis illuſtrium virorum, ex quo variæ vitæ à Græcis ſcriptoribus laudantur; uti Archytæ, Socratis, Platonis, Theleſti, Xenophili, & præcipuè Pythagoræ. Neque tantum Xenophilum audivit Ariſtoxenus, ſed etiam, ut vidimus ſuprà, Patrem, & Lamprum, ac Ariſtotelem, ſub cujus diſciplina condiſcipulum habuit Dicæarchum Meſſenium, quorum uterque, & Eurytum audivit Tarentinum Pythagoræ auditorem, cui aliquando, ut diximus, & Plato adhæſit. Timæus

mæus Locrus, qui de Pythagoræ vita librum ſcriptum reliquit, ut ait Suidas, Pythagoræ fuit auditor, Platonémque Pythagoræ ſacris initiavit teſtibus Cicerone v. de finibus, Valerio Max. lib. VIII. cap. VII. Petracha, Guarino, & aliis paſſim, quamvis utriuſque tempora Macrobio non videantur congruere. Libellum ſcripſit Timæus de natura & anima Mundi, Dorica ſcriptum dialecto; cumque Plato loquentem inducit in dialogo ſuo, cui inde Timæo nomen. Pythagoræ auditor, & Milo Crotoniata perhibetur Athletarum celleberrimus, de quo fama eſt, columna quandoque in Philoſophorum contubernio laborante, Milonem ſubeuntem ſalvos reddidiſſe univerſos, dein ſeipſum extraxiſſe, ut Strabo ſcribit lib. XVI. Zamolxes Geta ſervus, auditor Pythagoræ fuit, ut apud Herodotum in Melpomene legitur, hoc eſt, lib. IV. Qui cùm à domino, & præceptore ſcientiam rerum cœleſtjum hauſiſſet, eamque in patriam exportaſſet ſuam, regni particeps factus ex præſagiorum celebritate Deus habitus eſt, ut Laërtius in Pythagora lib VIII, atque ex

ex eo C. Rhodiginus lib. xviii. Antiq. lect. cap. xxiii. Plato eum inter Magiæ auctores, & è Tracia oriundum fuiſſe, refert, teſte in Apologia Apulejo. Prætereà literis proditum eſt, ac inter cœteros id Herodotus ſcribit: Getas, ſive Thraces, cùm ex hac vita diſcedebant ad Zamolxim pergere, hoc eſt, ut ex lingua Getica quidam exponit, ad ſalutis auctorem, qui eos collecturus foret. Abaris Scytha, &, ut Harpocration ait, Scytharum ad Athenienſes Legatus, Pythagoræ ſecundùm Iamblichum diſcipulus fuit. At antiqui omnes de Abari loquuntur, ut non Pythagora modò, ſed Solone etiam antiquiore. Vt ut philoſophus fuit illuſtris & ſingulari eruditione, ac continentia clarus. Vt non aliqui deſint jure mirari gentes adeo barbaras, & immanes, quales Scythæ virum tam præclarum protuliſſe, ut & Anacharſim, qui & ipſe ex Scythia oriundus. Cœterùm mirabitur nemo, qui ſciat Scythas juſtos, fortes, temperantes, beneficos extitiſſe: multáque ſingularis virtutis exempla domi floriſque edidiſſe: *Prorſus ut admirabile videa-*

videatur Iuſtino lib. 2, *hoc illis naturam dare, quod Graci longa ſapientum doctrina, praceptiſque Philoſophorum conſequi nequeunt, cultóſque mores inculta barbaria collatione ſuperari.* Scytharum philoſophiam egregiè commendat illa ipſorum concertatio de antiquitatis prærogativa cum Ægiptiis, de qua Iuſtinus loco cit. (Herodotus enim, qui citatur in Euterpe, hoc eſt, lib. 2, eam contentionem de vetuſtate originis fuiſſe ſcribit inter Ægiptios, & Phrygas) unde ſingularem quandam rerum naturalium cognitionem Scythis fuiſſe apparet. Abaris meminit in Melpomene, ſeu lib. 4. Herodotus, Suidas, Strabo lib. vii. Gregorius Theologus in oratione funebri in laudem Baſilij Magni, at ex his C. Rhodiginus lib. xv. Antiq. lect. cap. xx, & lib. xviii. cap. xxiv. Vulgaris eſt etiam opinio Numam Pompilium ſecundum Romanorum Regem Pythagoræ auditorem, ſectatorem fuiſſe: at vulgaris opinio. Cicero quidem lib. pr. de Oratore Numam ſignificat duobus ſæculis Pythagoram præceſſiſſe. Dionyſius Halicarnaſſæus quatuor penè ætates ante

vixiſſe

vixiſſe Pythagoram, eruditè probat. Alij apud Plutarchum ſæculis ferè quinque affirmant. Alij etiam uno duntaxat. Illud planè certum eſt Numam annis permultis antè fuiſſe Pythagoram: Nec pluribus opus in re aperta. At unde ea inquies, habuit ortum opinio? Probabilis eſt Ciceronis conjectura lib. 4. Tuſcul. tantam fuiſſe in tota Italia de Pythagoræũ doctrina, & ſapiẽtia, famam, & extimationẽ, ut cùm quis ſapiens, is continuò Pythagoræus diceretur, haberetur. Cùm ergo Numæ Regis æquitatem & ſapientiã à majoribus ſuis accepiſſẽt, ætates autẽ, & tempora ignorarent propter vetuſtatem, Pythagoræ Numam auditorem dixêre. Quam quidem Ciceronis conjecturam planè confirmant ea, quæ Plinius ſcribit lib. XXXIV. natur. hiſtor. cap. VI; Cùm enim bello Samniti, conſultus à Romanis Pythius Appollo, juſſiſſet duobus Græcorum gentis, uni ſapientiſſimo, alteri fortiſſimo, ſtatuas in urbe, celebri loco dicari, Romanos unam Pythagoræ, alteram Alcibiadi dicaſſe: ut mirum ſit, eos vel ſapientia Pythagoram Socrati, ejuſdem Dei ſententia ſapientiſſimo omnium pronuntiato, vel

fortitudine; Alcibiadem Themiſtocli prætuliſſe. Pythagoræ item auditores duo illi celeberrimi Legumlatores fuêre Zaleucus, & Charondas, de quibus Seneca epiſtola xci, Iamblichus in vita Pythagoræ lib. pr. cap. 30; quos in Italia à Pythagora inſtitutos affirmat Laërtius. De quorum patria legendus Lodovicus Nogarola in epiſtola de viris illuſtribus Italis, qui græcè ſcripſêre. Quamquam,an Zaleucus unquam fuerit, non careat apud aliquos dubitatione; nam Timæus acerbiſſimus in omnes conviciator Theophraſtum acriter repræhendit, quod Locrorum legiſlatorem Zaleucum fuiſſe ſcripſerit. Meminit Cicero lib. 2. de legibus, & lib. vi. ad Att. dicens: *Qui Zaleucum leges Locris conſcripſiſſe non dixit? Num igitur jacet Theophraſtus, ſi id à Timæo tuo familiari reprehenſum eſt?* Legum autem quas Charondas Thuriis tulit, meminit Valerius Max. lib. vi. cap. v, & Diodorus lib. xii. Bibliothecæ, ex quo nonnullas exſcripſit Stobæus. Pythagoræ tandem auditores ſibi gnati fuêre. Mneſarchus Arignates, Sara, Myia, & ſecundùm aliquos Damo, ipſaque uxor Theano pa-

tria Creſſa, vel ſecundùm aliquos Crotoniata, quos ſequitur Clemens Alexandrinus lib.pr.ſtrom. Brontini Crotoniatæ F. vel Pythonactis, ut magis aliis placet. Alij Brontoni uxorem dicunt: Pythagoræ verò diſcipulam, & F. Mamercus inſuper quibuſdam dicitur Pythagoræ F. Cœterùm Numæ eum Pompilij inſigni humanitate illuſtris communis ſententia tenet, à quo gens Æmilia. Sed de hoc penès auctores ſit fides. Vita functo Pythagora, magiſterium

TELAVGES F.

ſuſcepit, ut Laërtius ſcribit lib. VIII. Euſebius lib. x. Præparat. Evang. cap. 3. ait: *Pythagoræ ſucceſſit Theano uxor, ac Telauges, & Menaxarchus filij.* Telauges Empedoclem docuit, ut ex eodem habemus Euſebio, nec Laërtius diſſentit loco cit. Quem porrò alium docuerit Telauges, vel quem ſucceſſorem in magiſterij munere habuerit mihi minimè conſtat, quamvis dicat Laërtius Pythagoræ ſcholam uſque ad nonam duraſſe, ac decimam generationem. Mitto dicere

cere de celebri Pythagoræ apud ſcriptores ſilentio, quod aliqui ad quenquennium, alij ad biennium extendunt, alij non de utili,ac modeſto ſermone,ſed de inani verborum ſtrepitu intelligendum docent, Quò & Iuvenalis reſpexiſſe videtur ſat. 2.

Rarus ſermo illis, & magna libido tacendi.

alij aliter ſunt intrepretati. Adeat, videat Lector, qui plura Plutarchum lib. pr, de curioſit. Apulejum lib. 2. Florid. Laërtium lib. VIII. A. Gellium lib. pr. cap. IX. Sidonium Apollinarem lib. VII. epiſt. IX.Ex ſacris doctoribus D.Ambroſium lib. pr. offic. cap. X, Hieronymum in cap. 3. Eccleſiaſt. Clementem Alexandrinum lib. 3. ſtrom. Euſebium contra Hieroclem confutat. libri primi; atque ex his Hornium lib. VII. Hiſtor. Philoſoph. cap. XII. Nec illud hîc omiſerim quod cùm Pythagoras utriuſque ſexus, ac ætatis auditores habuerit, diverſas item pro auditorum captu claſſes inſtituit, ſeparatímque à mulieribus viros, à parentibus pueros docebat. Tanta autem inerat apud auditores verbis Pythagoræ

goræ fides, ut dubium omne doctoris auctoritas frangeret, unde & dictum voluêre, quod veritatem velut Pythius ipſe loqueretur. Cujus rei, ut minimè probandæ meminit Cicero lib. pr. de natura Deorum: *námque obeſt plerúmque iis, qui diſcere volunt auctoritas eorum, qui ſe docere profitentur; deſinunt enim ſuum judicium adhibere: id habent ratum, quod ab eo quem probant, judicatum vident. Nec verò probare ſoleo id, quod de Pythagoreis accepimus: quos ferunt, ſi quid affirmarent in diſputando, cùm ex iis quæreretur, quare ita eſſet, reſpondere ſolitos, ipſe dixit. Ipſe autem erat Pythagoras. Tantùm opinio præjudicata poterat, ut etiam ſine ratione valeret auctoritas.*

CAPVT II.

Cæteros Pythagoreos inviſo Philoſophos quorum ſtata in ſerie ſedes neſcitur.

OMnia delet vetuſtas, & vel peregrinarum virtutum unum ſupereſt nomen. Quot in hac ſecta floruêre illuſtres, quibus nunc atra incubat nox? Mi-

ror

tor profectò Pythagoricam ſectam, quæ & claritate nominis, & doctrinæ, ac ſapientiæ fama, ſectarúmque 'multidine, ac nobilitate cœteris vel major, vel par, inferior certè nulla, vel in ipſo defeciſſe conditoris F. Telauge. Noſce mecum Lector, & ignoſce rerum mundanarum varietati fortunæque viciſſitudini. At manus operi admoveo. *Xuthus* philoſophus Pythagoricus fuit auctore Simplicio. Ejus Ariſtoteles meminit IV phiſicorum text. LXXIX. Quo loci in expugnationem vacui incumbit. *Paro* philoſophus Pythagoreus fuit, de quo idem Ariſtoteles libro cit. textu CXXVIII. refert, quod cùm Simónides tempus ſapientiſſimum appellaret, quod eo ſapientiam homines adipiſcantur, eum Paro redarguit, inſipientiſſimum potiùs vocans, quod eo omnium rerum memoria intercidat.

Æſchylus Athenienſis qui non poëta ſolùm, ſed etiam philoſophus Pythagoreus fuit, ut Cicero ſcribit lib. 2. Tuſc. quæſt. Clareſcere cœpit olimp. LXX. ãno IV. quo Pythagoras mortuus eſt, Voſſio Doctore de Poëtis Græcis cap. 3.

Meminit ejus & Euſebius ſub olimp. LXXI, an. I. De ejus morte legendus Plinius lib. x. nat. hiſtor. cap. 3. Valerius Max. lib. IX. cap XII. *Tragedias primus in lucem Æſchylus protulit ſublimis, & gravis, & grandiloquus, ſæpe uſque ad vitium, ſed rudis in pleriſque, & incompoſitus.* Quintilianus lib. x. cap. I. Horatius in Arte.

Poſt hunc perſonæ pallæque repertor honeſtæ
Aeſchylus, & modicis inſtravit pulpita tignis,
Et docuit magnúmque loqui, nitique cothurno.

Agatho philoſophus Pythagoricus fuit, ac diſertus, frequens antithetis, Vixit familiariſſimus Archelao Regi, coævus Socratis, Hellanici Mitylenei, Herodoti, Thucididis Hiſtoricorum, atque Euripidis poëtæ tragici. Ælianus de varia hiſtoria refert: Quod interrogatus ab Archelao Rege, cum jam eſſet annorum LXXX. ſi robur adhuc ullum ſervaret. Sanè inquit: nam non ſolùm ver, verùm etiam autumnus ſolet bonos fructus proferre.

Q. Ennius

Q. Ennius poëta, quem Rudiæ genuêre vetuſtæ, Silium, ſi audias Italicum; Tarentum, ſi Euſebium, qui ejus in Chonico nativitatem ſignat anno IV. Olymp. CXXXIV, illis verbis: *Q. Ennius poëta Tarenti naſcitur, qui à Catone Quaſtore Romam tranſlatus, habitavit in monte Aventino parco admodum ſumptu contentus, & unius ancillæ miniſterio*: ſecta Pythagoræus fuit. Et quidem ſub ipſo Annalium principio Pythagoreæ diſciplinæ ſpecimen dedit de Methempſychoſi, & Metapſycoſi, ſua agens. Adde A. Perſium, qui ſat. VI. ait:

Cor jubet hoc Enni, poſtquam deſtertuit eſſe
Mœonides quintus pavone ex Pythagoræo

Conſuetudo, ac familiaritas ei cum P. Scipione, qui Africam devicit; is enim cum viris eruditis præſertim cum Ennio, converſationes amabat. Et adeo fuit ei charus, ut marmoratas laudes ſibi cum poëta, communes facilè demum pateretur, ut multæ lectionis vir tradit C. Rhodiginus lib. VII. Antiq. Lect. cap. pr. Sequutus eſt M. Fulvium Nobiliorem ad bellum Æ-

tolicum, cujus F. erudiit. Ab hoc, & Cato jam ſenex dicitur Græcas literas didiciſſe. Sententiarum gravitate in primis excelluit, ſed cui verborum cultus minimé reſponderet. Periit articulari morbo Coſſ. Q. Marcio Philippo iterùm, & Cn. Servilio Cæpione, ut Cicero in Bruto tradit.

Nearchus Tarſenſis philoſophus Pythagoræus fuit. Eo familiariter uſus eſt hoſpite M. Cato, cum adhuc adoleſcens ſub Fabio Maximo, qui Tarentum recepit, militaret, à quod & cōmplura accepit, quæ & à Platone uſurpabantur, ut Plutarchus docet in vita M. Catonis Cenſorij. Alius à Nearcho, qui cum Alexandro M. militavit deque eo hiſtoriam ſcripſit qui patria Alexandrinus, & noſtro, ut patet, antiquior.

P. Nigidius Figulus, ad quem Ciceronis inter familiares (ut vocant) extat epiſtola XIII. libri IV. qua exulantem ſpe reditus ſolatur, eumque unum omnium appellat diviniſſimum, atque ſanctiſſimum, quibus planè cognata A. Gellius lib. XIX noct. Att. cap. IV ejus opera Cicero in multis arduiſque Rei-
publicæ

publicæ negotiis uſus eſt. Qui libro de Vniverſitate de eo habet: *Denique ſic judico, poſt illos nobiles Pythagoræos, quorum diſciplina extincta eſt quodammodò, cùm aliquot ſæcula in Italia Siciliáque viguiſſet, hunc extitiſſe, qui illam renovaret.* Etſi Pythagoricæ diſciplinæ cùm aliarum callentiſſimus fuerit, maximè quidem Matheſeos. Suetonius in Auguſto narrat Nigidium comperta hora geniture Octavij pronunciaſſe dominum terrarum orbi genitum. Lucanus lib. pr. Civilis Belli.

At Figulus, cui cura Deos, ſecretàque Cæli
Noſſe fuit, quem non ſtellarum Aegyptia Memphis
Æquaret viſu, numeriſque moventibus aſtra.

Euſebius in Chronico florentem facit olimp. CLXXXIV. C. Iulij Cæſaris, ævo, contemporaneum M. Varronis ut A. Gellius notabat lib. XIX. cap. XIV.

Anaxilaus Laryſſæus, qui quod Magus ab Auguſto Vrbe Italiaque pulſus, ut Euſebius in Chronico Olimp. CLXXXVIII. Nimirum Pythagorici ma-

gna Magiæ ſuſpicione, & infamia laborarunt. Talis etiam Nigidius Figulus fuit, qui proinde in exilio mortuus eſt. Apollonius item Thyanæus, de quo mox dicam, magus & ipſe, ac maximus impoſtor. Lucianus eum ſuis coloribus in ſuo Pſeudomante, depingit, qui cùm in Alexandro vitam Appollonij tragœdiam appellet valdè adducor, ut credam nonniſi malum vitæ exitum habuiſſe. Atque hac potiſſimùm de cauſa factũ eſt, ut plerique odio eſſent Rerumpublicarum Rectoribus, atque adeo in exilium pellerentur. Non enim quos nominavimus ſolummodò in exilium pulſi, ſed & alij quamplures, & quidem viri inſignes, qui ex Græcia Romam veluti in alteras Athenas migrarunt. Sanè Domitianus barbari, ac feri ingenij Princeps quod videret multos Philoſophos magicis artibus operam dare, omnes philoſôphos ſeveriſſimo edicto tota Italia proſcripſit, & Antoninus Pius nonniſi has quatuor ſectas Philoſophorum publicè admiſit: Platonicos, Peripateticos, Epicureos, & Stoicos, ut in Eunucho Lucianus ſcribit.

bit.Sed quid mirum Pythagoræ ſequaces Magiæ ſtudijs tantum indulſiſſe, cùm ceu hæreditatem Magiam ab ipſomet ſectæ conditore habuerint? Nempe de Pythagora Timon Phliaſius in ſillis dixit:

Pythagoram tuêre Magum, qui nomine flagrans
Pergeret eloquijs homines captare venuſtis.

Pluria in hanc rem C. Rhodiginus lib. XIX Antiq. Lect. cap. VII. Revertor ad penſum.

Sextus, ſive Xyſtus philoſophus ſecta Pythagoræus fuit, qui naſcitur anno XLII Auguſti, ut in Chronico Euſebius, qui annus humano generi planè fauſtus & felix, cùm in eo natus ſit naturæ conditor, & princeps, ſol ille juſtitiæ inclytus & verè auguſta ſalutis noſtræ origo IESVS CHRISTVS Rex Regum, & Dominus Dominantium, cujus natali dividi omne ævum ſolet.

Appollonius Thyaneus, qui Pythagoręus teſte Sydonio lib. VIII. epiſt. 3. & alijs paſſim diſcipulus Euthydemi Tarſenſis, & Euxeni ex Heraclea. Ejus vitam ſcripſit Soterichus Oaſites poëta Epi-

cus, qui vixit ſub Diocletiano, cujus etiam encomium fecit; Maximus Aegienſis, Mœragenes, quorum mentionem facit Ioannes Tzetzes Chil. 2. Hiſtor. LX. & Hiſtor. CCXCI. Damis Aſſyrius Apollonij familiaris peregrinationiſque comes, à quo Philoſtratus Lemnius mutuatus, quæ VIII libris ſcripſit, dicens, eum Pythagoream ſectam tum moribus cùm expreſſiſſe doctrina. Præterea Nicomachus, qui Aureliani temporibus vixit, Appollonij vitam conſcripſit, ut Sydonius docet loco cit. his verbis: *Appollonij Pythagorici vitam, (non ut Nicomachus, ſenior é Philoſtati ſed, ut Taſcius victorianus è Nicomachi Schedio, ex ſcripſit) quia juſſeras miſi.* meminit Philoſtrati ac Apollonij vitæ in proëmio Vitarũ Philoſoph. & Sophiſt. Eunapius, qui ait, Philoſtratum opus ſuum non debuiſſe inſcribere *Appolonij vitam, ſed acceſſum Dei ad homines.* Florentem Euſebius agnoſcit cum Eufrate philoſopho Stoico Olimp. CCXIX. Philoſtratus autem ſub Severo Imperatore emicuit, & ſequentibus uſque ad Philippum teſte Suida, imò hoc ipſum indicat ipſe lib.

lib. pr. cap. 3. vitæ Apollonij dicens: hoſce à ſe libros ſcriptos poſtulato Iuliæ Imperatricis Severi Imper. conjugis, quæ *Sophiſtarum orationes omnes commendabat, atque amabat*, ut loco citato Philoſtratus. Tres autem fuerunt Philoſtrati, ſive potiùs quatuor, de quibus legendus Gerardus Ioannes Voſſius de Rhetor. natur. conſtit. cap. XII. & de Hiſtoricis Græcis lib. 2. cap. XV. Flavius etiam Vopiſcus decreverat Apollonij Thyanæj facta in litteras mittere, ut ipſemet in Aureliano ait. Quo loci & Thyanæj elogium pangit. Fabuloſa verò portenta, quæ de Apollonio confixit Philoſtratus planè detexit Euſebius, atque nudavit; & antè Iuſtinus martyr lib. Quæſt. quæſtione XXIV. Lactantius lib. V. cap. 2, & 3. Anataſſius lib. Quæſt. q. XXIII Lucianus in libro Pſeudomantis. Atque hactenus de ijs, quorum nota ſunt tempora. Incertæ ætatis dabo olim, quando, ut ſuprà hæc ad guſtum.

CAPVT III.

DE

MAGISTERIO EMPEDOCLIS AGRIGENTINI à QVO NOBILIS ORATORVM FAMILIA.

NOn convenit inter ſcriptores, cujus fuerit Empedocles auditor. Parmenidi incubuiſſe auctores ſunt Theophraſtus, atque Hermippus, quibus in Phyſico Alcidamas planè conſentit, ac inter recentiores Voſſius lib. IV. de Hiſtor. Græc. cap. 2. Alij Archytæ Tarentino ſub Artaxerxe Longimano. Alij Xenophani Colophonio. Alij Hippaſo Metapontino, atque Brontino. Timæus lib. IX. Hiſtoriarum Pythagoræ; cujus ſententiæ tacito nomine meminit Laërtius in calce vitæ Pythagorę, dicens: *nam ut quibuſdam placet, Pythagoræ auditor fuit* (ſcilicet Empedocles.) In quam pedibus etiam ire videtur ipſemet Voſſius libro de ſectis cap. VI. §. 38, & lib. de Poëtis Græcis cap. VI. nec diſſentit

diſſentit lib iv. de de Hiſtor. Græc cap. 2. Alij Filio Pythagoræ Telaugi ut diximus ſuprà. Et quidem vel Pythagoram, vel Telaugé, vel aliquem ex Pythagoreis audiſſe, atque adeo ad Pythagoream ſpectare ſectam argumento primo metempſychoſis eſſe poteſt, hoc eſt, animæ tranſmigratio, ſive tranſitus ex uno corpore in aliud, quem profectò Empedocles poſuit, ut ipſemet ait apud Laërtium lib. VIII, & meminit Ioannes Grammaticus Alexandrinus cognomento Philoponus comment. in lib. pr. de Anima.

Ipſe puer quãdòque fui, quãdòque puella,
Arbuſtum, & volucris, gradiénſque per æquora piſcis.

Celebre autem Pythagoræ hoc dogma fuiſſe, nullus eſt adeo in literis hoſpes, qui neſciat. Quod clarè Ovidius lib. xv. metamorph. his verſibus expreſſit.

Morte carent animæ: ſempérque priore relicta
Sede novis domibus vivunt: habitántque receptæ.
Ipſe ego (nam memini) Trojani tempore belli

Panthoides Euphorbus eram, cui pectore quondam
Haſit in adverſo gravis haſta minoris Atridæ.
Cognovi clypeum levæ geſtamina noſtræ:
Nuper Abanteis templo Iunonis in Argis.
Omnia mutantur: nihil interit: errat, & illinc
Hûc venit, hinc illûc, & quoſlibet occupat artus,
Spiritus: è que feris humana in corpora tranſit:
Inque feras noſter: nec tempore deperit ullo.
Vtque novis facilis ſignatur cera figuris
Nec manet, ut fuerat: nec formam ſervat eandem:
Sed tamen ipſa eadem eſt: animam ſic ſemper eandem
Eſſe: ſed in varias doceo migrare figuras.

Secundò Magiam exercuiſſe, quæ, ut diximus ſuprà, ceu hæreditas fuit, quam à Pythagora accepêre ſequaces. Sanè Gorgiam Leontinum, qui Empedoclis diſcipulus fuit, ſolitum dicere, in vitis Satyrus ſcribit, ſe Empedocli

Magiam

Magiam exercenti adfuiſſe ſpectatorem. Quod & ex ipſius Empedoclis poëmatibus haud quidem obſcurè colligi poſſe videtur. Ejus ſunt apud Laërtium, qui verſus ſequuntur loco cit.

Pharmaca quis pellas morbos, levéſque ſenectam
Percipies, quæ cuncta tibi communico ſoli.
Compeſcéſque truces ventorum procellas,
Exorti inſanis, qui vaſtant flatibus agros.
Surſum, ſi libeat, mox flamina pigra ciebis,
Et media induces è tempeſtate ſerenum,
Induces media pluvias æſtate ſalubres,
Et flatus ſicca qui perflent omnia meſſe
Extinctúmque hominem nigro revocabis ab Orco.

Inſuper adde ex Hieronymo putaſſe Empedoclem omne quod vivit, & movetur, non eſſe edendum, ſicut & Pythagoras. Laërtius etiã inter Pythagoreos reponit, ac Benedictus Pererius lib. IV. de commun. omnium rerum natur. principijs & affectionibus cap. IV. Athenæus apertè lib. pr. Dipnoſoph. cap. I. *Empedocles quoque Agrigentinus, cum equeſtri*

equeſtri certamine Olimpia viciſſet, bovem ex myrrha, thure & pretioſiſſimis aromatum generibus compoſuit, eùmque ſpectatoribus occurrentibus diſtribuit, quippe qui Pythagoricus erat, & ab animatis omnibus abſtinebat. Dubium porrò eſt, utrumne inter poëtas, an inter philoſophos annumeres, quippe qui rerum naturam elegantiſſimo carmine explicuit, ut apud Romanos T. Lucretius Carus. Cujue operis, ac lucubrationis meminit Cicero de Amicitia: *Agrigentinum doctum quemdam virum carminibus Græcis vaticinatum ferunt, quæ in rerum natura totóque mundo conſtarent, quæque moverentur, ea contrahere amicitiam, diſſipare diſcordiam.* Cæterùm phyſicum potiùs quàm poëtam dicendum, Ariſtoteles docet; qui etiam Empedoclis ſententiam ponentis quatuor corpora prima rerum initia, multis in locis, multiſque modis coarguit, ut apud eum videre eſt pr. phyſicorum. pr. de Generatione text. 2. & 3. 2. de Generatione à textu XXXVII uſque ad XLVI. pr. metaph. text. XV. Erant autem terra, aqua, aër, ignis, quibus adjecit duo moventia, nempe amicitiam, quæ

res in chaos, & acervum congregaret; litem, quæ eaſdem inde abjungeret. Cicero lib. pr. Tuſcul. *Empedocles multa alia peccans, in Deorum opinione turpiſſimè labitur. Quatuor enim naturas, ex quibus omnia conſtare vult, divinas eſſe cenſet: quas & naſci, & extingui perſpicuum eſt, ſenſu omni carere.* De amicitia verò, ac lite patet ex ejuſdem Ciceronis teſtimonio in libro, ſeu dialogo, qui Lælius, ſeu de Amicitia nuperrimè ſuprà allato. Idem tamen Ariſtoteles Empedoclem in pr. metaph. præfert Anaxagoræ dicens: illum quidem ætate fuiſſe inferiorem, operibus autem ſuperiorem. In pr. autem phyſicorum text. XLI, & L, & item 3. de Cœlo text. 37. ait: meliùs ſenſiſſe Empedoclem faciendo principia rerum finita, quàm Anaxagoram inducendo infinita, propterea quod natura horret infinitũ, amat ordinem, ſatagit quàm pauciſſimis rebus poteſt, opera ſua moliri: & ſicut non denegat neceſſaria, ita nihil permittit ſuperfluum, quamobrem quæ paucioribus inſtrumentis poteſt efficere, ad ea perficienda, plura non adhibet. Sed de Empedoclis laudibus legen-

dus Xanthi Lydi liber(ſi extat) de hoc argumento. T. Lucretius lib. pr. de rerum natura, qui mirificè eum extollit, ſapientem, ac planè divinum appellans, ejuſque dogmata, & inventa ſanctiora, & certiora eſſe ait, quàm Apollonis reſponſa

Pythia, quæ tripode ex Phœbi, lauróque profatur.

Vide ubi de eo, & Sicilia ejus patria canit:

Nil tamen hoc habuiſſe viro præclarius in ſe
Nec ſanctum magis, & mirum, clarúmque videtur:
Carmina quin etiam divini pectoris ejus
Vociferantur, & exponunt præclara reperta,
Vt vix humana videatur ſorte creatus.

In precio erat Olympiade LXXX, & IV. Inocciduæ poſt fatum famæ deſiderio impenſiùs flagraſſe dicitur. Ac ut erat homo acerrimi ingenij, ut omnia pro illa, ita præ illa nihil omnia pendebat. Et ut ſuperſtes ſummè amabat paſſim ab omnibus ſuſpici, coli, ita poſt mortem haberi, adorari, ut Deus maximé ſtuduit.

duit. Hoc æſtu percitus in Ætnæ craterem ſe præcipitem dedit, ut cùm non amplius inter mortales pareret, ad æthera inter cœlites abijſſe crederetur. Lactantius lib. 3. divin. Inſtit. cap. XVIII. *Empedocles ſe in ardentis Aetnæ ſpecum intempeſta nocte dejecit; ut cùm repentè non apparuiſſet, abiſſe ad Deos crederetur.* Meminit Horatius in arte poëtica

——————————*Siculíque Poëtæ*
Narrabo interitum. Deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Aetnam
Inſiluit.

Nec quidquam egit. fraus detecta eſt. Nam crepidæ vi ignis rejectę conſpicuas ſe dedêre. Strabo lib. VI. *Qualia præſertim de Empedocle dixêre quidam, quod in craterem inſiluit* Ætnæ, *& illius caſus reliquit veſtigia, è calceis alterum quos ferreos geſtabat, quem quidem paullò à crateris labro longiùs repertum, ipſa ignis violentia ejeciſſet.* Porrò Empedocli in philoſophiæ ſtudijs Athenis comes fuit Acron Agrigentinus, de quo Plinius lib. XXIX. natur hiſtor. cap. pr. *Alia* (ſcilicet medicinę

dicinæ, *factio ab experimentis ſe cognominans Empiricen cœpi in Sicilia à Creonte Agrigentino Empedoclis phyſici auctoritate commendato.* Fuchſius tamen de Empirica. *Hujus ſecta*, ait, *auctores, & principes fuêre Philinus Cous, qui primus eam à rationali ſeparare auſus eſt, occaſione ab Herophilo, cujus auditor fuit, ſumpta. Cùm autem ſuam ſectam primam eſſe vellet, & rationali vetuſtiorem, Acronem Agrigentinum ei dediſſe initium finxerunt. Quam famam ſecutus Plinius* Empiricen *in Sicilia à Creonte Agrigentino cœpiſſe tradit.* Aliqui Empedoclem Rhetorices auctorem fuiſſe ſcribunt, atque ita Quintilianus lib.3.Inſtit. Orator.cap.pr, *Primus poſt eos, quos Poëtæ tradiderũt, moviſſe aliqua circa Rhetoricẽ* Empedocles *dicitur.* Quod idem planè fulcit, & firmat Laërtius auctoritate Ariſtotelis. *Ariſtoteles verò in Sophiſta, primum* Empedoclem *oratoriæ inventorem ait, Zenonémque dialecticæ.* Cujus quidem opinionis meminit de Rhethorices natura, ac conſtit. Voſſius cap. IX. Atque idem de utroque ſcribit Suidas in Zenone: niſi quod Ariſtotelem non laudet hujuſcé rei auctorem

torem. Enimverò ſi de Dialectica loquamur multò ante Cyttięum Zenonem inventam planè conſtat ex dictis ſuprà lib. 3. cap. 3. Quod ſi de Rhetorices ſit ſermo Corax, & Tiſias Siculi antiquiſſimi primi dicuntur artem, & pręcepta rhetorices inveniſſe, ac primi ejus artis ſcriptores fuiſſe. Quintilianus lib. 2. Orator. Inſtit cap. pr. *Artium autem ſcriptores antiquiſſimi Corax, & Tyſias Siculi, quos inſecutus eſt vir ejuſdem inſulæ Gorgias Leontinus Empedoclis, ut traditur, diſcipulus. Is beneficio longiſſimæ ætatis. (nam centum, & novem vixit annos) cum multis ſimul floruit. Ideóque & illorum, de quibus ſuprà dixi fuit æmulus, ultra Socratem uſque duravit* Quam & Ariſtotelis fuiſſe ſententiam clarè ex Ciceronis verbis in Bruto colligitur: *Itaque ait Ariſtoteles, cùm ſublatis in Sicilia tyrannis, res privatæ longo intervallo judicijs repeterentur, tum primùm (quod eſſet acuta illa gens, & controverſa natura) artem, & præcepta Siculos, Coracem, & Tiſiam, conſcripſiſſe. Nam anteà neminem ſolitum via, nec arte, ſed accuratè tamen, & de ſcripto, pleróſque dicere: ſcrip-*

ſcripiáſque fuiſſe, & paratas à Protagora rerum illuſtrium diſputationes, quæ nunc communes appellantur loci. Quid igitur mirum Suidam non laudare Ariſtotelem dicentem: primum Empedoclem oratoriæ inventorem fuiſſe, dialecticæ Zenonem, cùm ex Ciceronis loco ſecus ſentientem videamus Ariſtotelem, ac pro hac parte paſſim ſtare ſcriptores? Nimirum id ipſum, & in Prolegomenis Hermogenis traditur. Vtut, claſſis ab Empedocle Oratorum nobiliſſima originem duxit. Siquidem

GORGIAS LEONTINVS

ejus auditor, rhetor fuit inſignis, idemque ſophiſta, ut Philoſtratus in libro Sophiſtarum ſcribit. Imò quicquid ars ſophiſtica, artis habet ei tamquã patri debere acceptum referre. Quod enim ornamenti Æſchylum miratur antiquas addidiſſe tragediæ, hoc eſt veſtem, pulpitum, perſonas, heroum nuncios, quibus ſcæna, & proſcœnium ornatur: hoc item Georgiam ſuæ tribuiſſe arti palam eſt, vehementiam in dicendo, para-

paradoxas,ſpiritum,magniloquentiam, trangreſſiones, adjectiones,verba etiam poëtica ornatus gratia,ex quibus oratio cùm dulcis, tum potens emanaret. Quantum extemporalite præſtiterit pluribus docet R. Volaterranus ubi de ſophiſtica in univerſum agit. Qua quidem diſciplina Gorgias optimos Athenienſium ſibi devinxit Critiam, & Alcibiadem, ambos ætate florentes. Item Periclem, & Thucididem penè ſeneſcentes. Nullum genus diſputationis à ſe alienum putavit, undè primus ex omnibus auſus eſt in hominum conventu poſcere, qua de re quiſque vellet audire, illam proponeret; ſe de propoſita copioſè eſſe dicturum, ut eſt apud Ciceronem lib. pr.de Oratore, & lib.3. *Ipſe ille Leontinus Gorgias, quo patrono (ut Plato voluit) philoſopho ſuccubuit orator,qui aut non eſt victus unquam à Socrate, neque ille ſermo Platonis verus eſt: aut ſi eſt victus, eloquentior videlicet fuit,& diſertior Socrates, & ut tu appellas copioſior, & melior orator, Sed hic in illo ipſo Platonis libro de omni re, quæcunque in diſceptationem quæſtionémque vocaretur,* ſe

ſe copioſiſſimè dicturum eſſe profitetur. Iſque princeps ex omnibus anſus eſt in conventu poſcere, qua de re quiſque vellet audire; cui tantus honos eſt habitus à Græcia ſoli, ut omnibus Delphis non inaurata ſtatua, ſed aurea ſtatueretur. Plura de eo Voſſius lib. de Rhetor. natur. ac conſtit. cap. x. Vixit annos CVIII, ut Cenſorinus, atque in Macrobijs Lucianus, ut Valerius lib. VIII. cap. XIV. CVII, ut verò Suidas CIX. Ejus vitam in literas retulit L. Cincius Alimentus. Porphyrius Suida teſte floruiſſe ait Gorgiam Olympiade LXXX. ſed Suidas antiquiorem fuiſſe cenſet. Sed ex longævitate Gorgiæ facillimè conciliari poſſunt Porphyrius, atque Suidas. Auditores Gorgiæ fuêre Proxenus genere Boetius Cyro notus, & charus, qui & Xenophontem Grylli F. in Cyri amicitiam perduxit. Alcydamas Eleata (Suidas ait Alcydamantem fuiſſe Eleum ab Elea Aſiæ civitate, non ab Elea, quæ eſt in Italia) quem Palameda Plato appellat, ut 3. Inſtit. Quintilianus cap. pr. cujus Æſchinem Athenienſem Demoſtheniacæ factionis adverſarium auditorem fuiſſe nonnulli apud

apud Plutarchum in Æſchine arbitrantur. Illam ſanè Æſchines in oratione contra Cteſiphontem magnificè laudat, oſtenditque facultate dicendi haud Demoſteni cedere. Alij, & Socratem, & Platonem, & Antalcidem, ferunt audiſſe. Cœcilius verò Siculus Leodamantem, Suidas Alcydamantem. Gorgiam præterea audivit Polus Agrigentinus rhetor, & ſophiſta, qui pariſa dicitur in oratione inveniſſe, & antitheta, & ſimiliter deſinentia, quod alij negant dicentes inventis tantummodò uſum, ut ex Philoſtrato habemus. Aliqui addum Zoilum Amphipolitanum *canem. Rhetoricum* dictum: *Rhetoricum* quidem, quia ſophiſta eſſet, & eleganti dictione uteretur: *Canem* autem quod ſtylo mordaci ſummos viros adlatraret, atque adeo Homerum ipſum, Platonem, Iſocratem, & alios. Quo factum eſt, ut aliarum laudum obtrectatores Zoili dicantur, atque adeo Ovidius lib. pr. de Remedio amoris dixit.

Ingenium magni livor detrectat Homeri
Quiſquis es, ex illo, Zoile, nomen habes.

Alij, & Policratem qui accuſationem contra

contra Socratē ſcripſit audiſſe produnt, Alij ZoilumPolycratis diſcipulū faciunt quod Voſſio minimè probatur lib. pr. Hiſtor.Grçcor.cap. xv.Pericles etiam,de quo vetus comœdia Eupolis, in labris ejus melle dulciorem leporem habitare dicebat, inter Gorgiæ auditores aliquibus enumeratur. At maximè inter omnes celebris Gorgiæ auditor fuit

ISOCRATES ATHENIENSIS

Quem pluribus ſummiſque laudibus hinc inde Cicero elegantiſſimè ornat. Nam 2. de Oratore patrem eloquentiæ appellat. Et poſt multa: *Ecce tibi exortus eſt Iſocrates magiſter iſtorum omnium cujus è ludo tamquam ex equo Trojano innumeri principes exierunt, ſed eorum partim in pompa, partim in acie illuſtres eſſe voluerunt.* lib. 3. de Orat doctor ſingularis ipſimet dicitur. Sed lubet, quæ de eo in Bruto Cicero habet audire: *Iam ſenibus illis, quos paulò antè diximus, Iſocrates, (cujus domus cuncta Græcia, quaſi ludus quidam, patuit: atque officina dicendi) magnus orator, & perfectus magiſter*

giſter; quamquam forenſi luce caruit, intráque parietes aluit eam gloriam, quam nemo quidem, meo judicio, eſt poſtea conſecutus: & cùm cætera meliùs, quàm ſuperiores, tum primus intellexit, etiam in ſoluta oratione, dum verſum effugeres, modum tamen, & numerum quendam, oportere ſervari. Cur autem in ra parietes, & non in forenſi voluerit luce clarere, ipſemet in ibro, qui inſcribitur Panathenaicus aperit dicens: *Naturam meam ad actiones laborum infirmiorem molliorémque, ad orationes verò neque facilem neque omnino commodam eſſe cognoveram. Sic enim duo, quæ apud nos plurimùm poſſunt, vox, & audacia, mihi defuerunt, ut quod ſciam, nemini civium magis defuerint.* Sed de his legendi, qui pluribus ejus vitam literis conſignarunt, Dionyſius Halicarnaſſæus, Philoſtratus, Plutarchus, quibus adde Hieronymum Vuolfium. Quia autem naturarum, & artium generis ejuſdem in multis multæ ſunt varietates, ut pluribus Cicero lib. 3. de Oratore demonſtrat, & Quintilianus lib. x. cap. pr. & lib. XII. cap. x. Sidonius Apollinaris lib. v. epiſt. x, hinc

P

evenit etiam, ut & facultatis orandi plura diſcrimina ſint ex oratorum ſtudijs, atque naturis, atque adeo aliqui in uno genere, alij in alio maximè emineant, ſummamque in eo dicendi genere laudem conſequantur. Quare ut quiſque Græcorum, & maximè principum propria peculiariquc dicendi laude effulſit, Lyſias quidem ſubtilitatis, Hyperides acuminis, Æſchines ſonitus, vim Demothenes habuit, ita ſuavitatis præconio maximè commendatur Iſocrates. Quæ dicendi varietas, atque in oratoribus Græcis diſcrimen, in Latinis quoque conſpici poteſt. Vnde gravitas Africano, lenitas Lælio, aſperitas Galbę, profluens quiddam, & canorum Carboni placuit. Quid? tot ferè generum diſcrimina fuêre quot Oratores. Catulus purus, Cæſar facetus, Sulpicius tragicus, Cotta tenuis Antonius concitatus, & callidus, Craſſus gravis, & copioſus. Sed hæc huic loco fortaſſè aliena. Quare manum tabula. Audivit adhuc puer Iſocrates Prodicum Chium, & Siculum Tiſiam, qui cum Gorgia à Leontinis legatus Athenas miſ-
ſus

ſus fuit, ut Coracis Siculi diſcipulus, quibus & Theramenem rhetoram adjecit. Ludum primò in Chio aperuit, quo loci novem illi primùm auditores, deinde ferè ad Centum. Synopſim texit Hermippus, ut eum citat Athenæus lib. VIII. cap. VI. Atque Euripus, ut ex Harpocratione colligit Voſſius de Hiſtor. Græc. lib. IV. parte 3. Nos, qui ſcriptoribus memorantur, principes, dabimus. Prior eſto clariſſimus Timotheus Cononis præſtantiſſimi Imper. F. qui imperio militari ſic excelluit, ut pictores Fortunam juxtà illius imaginem pingerent, quæ retibus urbes incluſas ab eo oppugnandas, tenebant. Sed & doctrinam huic gloriæ adjecit. Cicero lib. pr. de offic. *Quod idem fecit Timotheus Cononis F. qui, cum belli laude non inferior fuiſſet quàm pater, ad eam laudem doctrinæ & ingenij gloriam adjecit.* Theopompus Chius Iſocratis diſcipulus fuit, imò ut Dionyſius Halicarnaſſæus ait in epiſtola ad Pompeium, *clariſſimus omnium Iſocratis diſcipulorum.* Neque tanti viri oblitus eſt Strabo, qui lib. XIV. inter eum Chios illuſtres recenſet; & meritò

quidem, ſi qui alius recenſendus, quippe qui veritatis amans, cùm memorabilem conderet hiſtoriam, nulli non pecuniæ pepercerit; ut rerum, quas literis mandabat, planè gnarus fieret, ac compos, ut Athenæus ſcribit lib. 3. cap. v. *Diſcat à Theopompo Chio, viro veritatis amante, & qui multum pecuniæ impenderit in accuratam hiſtoriæ inquiſitionem.* Cicero lib. 2. de Oratore maximè illum ab Iſocrate clariſſimo præceptore commendat, tum ab ingenij præſtantia dicens: *Poſteà verò quaſi ex clariſſima rhetoris officina, duo præſtantes ingenio Theopompus; & Ephorus, Iſocrate magiſtro impulſi, ſe ad hiſtoriam contulerunt, cauſas omnino nunquam attigerunt.* De ejus dicendi forma, ac ſtylo legendus Dionyſius Halicarnaſſæus, qui ait: *Forma dicendi in eo eſt Iſocraticæ affinis, niſi quod exilis ſit & quaſi nervis quibuſdam intenta admodùm: quod ad alia verò, ſimilis dictio eſt. Nam & communis eſt, & clara apertáque, ampla item, & gravis pompæ ſimilis, & compoſita ad delectationem.* In certamine illo oratorum, quo laudes Mauſoli Artemiſiæ hortatu de-

canta-

cantatæ fuêre, Theopompum viciſſe judicatum eſt A. Gellio lib. x. cap. XVIII. Sed de Theopompo, qui plura conſulat eruditiſſimum Voſſium lib. pr. Hiſtor. Græcor. cap. VII; noſtra enim oratio ad alios properat Iſocratis auditores, quos inter Ephorus Cumæus Theopompi condiſcipulus, quique ut ille non ad fori contentionem, ſed ad hiſtoriam, conſilio, ſollicitatione præceptoris, ſe contulit, ſecutuſque eſt dicendi genus quietum, & ſuis aptum viribus. Dio Chryſoſtomus oratione ea, quam de dicendi exercitio ſcripſit, tribuit Ephoro *ſupinum, & remiſſum orationis genus*. A cujus judicio nihil diſſultat Suidas dicens: *Ephorus ingenio quidem erat ſimplici: in dictione verò hiſtorica ſupinus, & ſegnis, ac contentione carens*. Quibus plane ſuccinit Duris Samius lib. pr. Hiſtor. cùm tamen Diodorus Siculus initio lib. v. Biblioth. longè diverſum à ſuperioribus de eo judicium ferat, dicens: *Ephorus, res paſſim geſtas deſcribens, non verborum elegantia duntaxat, ſed accurata ordinis quoque obſervatione, probi officio hiſtorici fungitur.*

Scripſit enim libros hiſtoriarum xxx, quibus complexus eſt res annorum ferè ɪɔccʟ. De eo, ac Theopompo ſic judicabat clariſſimus eorum præceptor Iſocrates, Theopompum egere fræno, calcaribus Ephorum. Cicero in Bruto. *Iſocratem in acerrimo ingenio Theopompi & leniſſimo Ephori, dixiſſe, alteri ſe calcaria adhibere, alteri frænos*, & meminit Quintilianus lib. 2. cap. ɪx. Hoc idem de Ariſtotele, & Xenocrate dixiſſe Platonem, de Theophraſto, & Calliſthene, Ariſtotelem, Laërtius ſcribit lib. v. Xephon Grylli F. Photio teſte in Biblioth. cap. ccɪx. Iſocratem audivit, de quo ſat ſupra lib.pr.cap. 3. Crates Trallianus Orator, cujus Laërtius mentionem facit lib. 3. in Crate Athenienſi. Metrodorus, qui docuit Theocritum Chium oratorem ut Suidas tradit; cujus meminit lib. xɪv Strabo. Philiſcus Mileſius tibicen, alius à Philiſco, ſeu potiùs Philiſto Syracuſio hiſtorico, qui docuit Neanthem Cyzicenum oratorem memoratum Clementi Alexandrino lib. v. ſtrom. ac Teodoreto lib.pr. Therapeut. floruitque Ptolomæi Philadelphi temporibus.

poribus. Aſclepiades, qui Tragœdiarum argumenta congeſſit, & Theodectes Phaſelites, qui poſteà Tragœdias ſcripſit, quique etiam Platonem, & Ariſtotelem audivit, ac Olympiade CIII. cum Naucrate Iſocratis item auditore, Iſocrate Amycla, & Theopompo funebrem habuit orationem in laudem Mauſoli Artemiſiæ hortatu, cujus F. Theodectes vixit Ptolemæj Lagi tēporibus, ſcripſitque Alexandri Epirotæ encomium, & alia nonnulla, quæ Suidas recenſet. Leodomas Athenienſis, & Athenienſis nomotheta Lacritus, atque Philoſtrato auctore Hypperides Athenienſis, tribu Coliteníis, qui ex Photio in Biblioth. cap. CCLXVI. Platonem etiam audivit unà cum Iſocrate. Ephippius Cumæus, qui tamen Voſſio lib. pr. Hiſtor. Græcor. cap. VII. idem qui Ephorus cenſetur. Thraſymachus Chalcedonius ex Bithyniā, numerorum, qui conſonant in oratione ex apta quadam collocatione inventor, ad differentiam Gorgiæ Leontini, qui eos invenit numeros, qui conficiuntur ex concinnitate verborum. Quamvis ſecus

ſenſerint alij, qui inter Iſocratis laudes hanc etiam reponunt, ut verbis ſolutis, nulloque vinculo coagmentandi colligatis, numeros primus adjunxerit, ut numerus jucunditate mulceret aures, idemque variaret orationem, cujus una perpetuaque figura ſatietatem parit, omnibus in rebus planè evitandam. Prætereà Demoſthenes ad Iſocratem ſtudioſè acceſſit, *qui*, ut ait Quintilianus lib. x. cap. pr. *omnium decem oratorum, quos ſimul Athenis una ætas tulit, longè princeps fuit, ac penè lex orandi tanta vis in eo, tam denſa omnia, ita quibuſdam nervis intenta ſunt, tam nihil ocioſum, is dicendi modus, ut nec quid deſit in eo, nec quid redundet invenias.* Cicero etiam in Bruto Demoſthenem ait, Oratorum principem judicari à doctis: cùmque Æſchines præcipuè commendetur à lenitate, & ſplendore verborum, ait ne hac quidem parte cedere Æſchini Demoſthenem, quamobrem loco citato ſubjungit: *unum Demoſthenem eminere inter omnes in omni genere dicendi.* Cujus auditor Cineas Theſſalus, Pyrrhi legatus, de quo multa Plutarchus in Pyr-

rho,

rho, & vixit temporibus Ptolomæj Lagi. Scripſit Cineas, uti & Pyrrhus de re militari. Et meminit Cicero lib. IX. epiſt. XXV. ad Papirium Petum: *ſummum me ducem literæ tuæ reddiderunt. Planè neſciebam, te tam peritum eſſe rei militaris. Pyrrhi te libros; & Cineæ video lectitaſſe.* Cephiſodorus alius ab Athenienſi veteris tragœdiæ poëta, & alius item ab eo, qui nomen adeptus hiſtoria ſua Belli ſacri, ſive Phocici, Iſocratis auditor fuit, ac cum eo familiariter vixit, fideliſſimumque ſe diſcipulum præſtitit. Siquidem cùm Iſocrati præceptori mirum in modum infenſus eſſet Ariſtoteles, ut veterum plures tradidêre, nec gloriam illius æquo animo ferre poſſet; unde & addunt ipſum tamquam ſtimulo quodam concitatum ſubtiles tres libros de Arte dicendi ſcripſiſſe, ut oſtenderet ſe quoque Iſocrati in his ſtudijs, atque artibus, quas ille quotidie tractabat, non cedere, neque ulla in re ipſi inferiorem eſſe, & multa vitio illi vertiſſe; Cephiſodorus calamum arripuit, admirabilem illam defenſionem confecit, quam quatuor libris con-

cluſit, qua omnia diluit, quæ ab Ariſtotele præceptori ſuo Iſocrati objecta fuêre. Meminit Atheneus lib. 2. cap. xxi. & lib. 3. cap. xxi. & Euſebius lib. xiv. Præparat. Evang. cap. 2. Lycurgus unus è decem Græciæ oratoribus Athenienſis, tribu Eteobutades, Lycophronis F. qui primùm in philoſophia Platone uſus eſt præceptore, tum Iſocratis familiaris evaſit, cujus vitam ſcripſit Philiſcus, atque Plutarchus. De ejus dicendi genere Dionyſij Halicarnaſſæi judicium eſt: *ubique fuſus, elatus, gravis, & accuſatorius, veritatis amans, & in dicendo magna libertate; non eſt urbanus, aut ſuavis, ſed ſerius, & ad gravitatis exemplar omnibus propoſitus.* Lyſias Cephali F. unus è decem Græciæ oratoribus, ut ex Platone in Phædro refert in ejus vita Plutarchus, Iſocratis fuit auditor, Iſæi & antè Tiſiæ, & Niciæ Syracuſanorum Photio in Biblioth. doctore cap. CCLXIII. In ejus laudes extat apud Plutarchum Philiſci amici, Iſocratiſque familiaris, epigramma. Vt autem Iſocrates Timotheum Cononis F. inſtituit, ſic & Lyſias Thebanum Epaminondam,

quo,

quo duce Lacedæmoniorum vires attritæ ſunt, edocuit. Parùm abeſt, quin hunc Cicero ſummum virum unum omnis Græciæ pronunciet, etenim ſcientijs atque virtutibus excultus erat: virtute bellica nemini cedebat: patriæ, non ſibi imperiũ quærebat. Non illũ ambitio, non avaritia, non munera, non improba cupiditas avertebat à recto. Lancea transfixus in prælio, non abjecit animum, ſed ubi reportatus in caſtra ſemianimis audiit viciſſe Thebanos, & clypeum ſuum non in hoſtium manum veniſſe, *benè res habet*, inquit, atque veluti gratulabandus expiravit, ut lib. VI Iuſtinus narrat. Propriis & uſitatis verbis uſus eſt Lyſias, eoque hoc aſſecutus eſt, auctore Voſſio de Rhetor. natur. ac conſtit. cap. XI. ut cùm loqueretur modo conſueto, nova tamen uteretur dicendi forma, primuſque induceret recentiorem Atticiſmum. Et hoc eſt, quod Dionyſius Halicarnaſſæus ait: *Non nominibus res inſerviunt apud eum, ſed res ſequuntur nomina.* Quamvis autem ab hac laude maximè cõmendetur, & meritò quidem, attamen

orator parùm grandis habitus eſt,& potiùs ſubtilis, quàm ſublimis. De eo Quintilianus lib. x. cap. 1. *His*, inquit (ſcilicet Demoſthene, Æſchine, & Hyperide) *Lyſias ætate major ſubtilis, atque elegans,& quo nihil, ſi oratori ſatis ſit docere, quæras perfectius. Nihil enim in eo eſt inane, nihil arceſſitum. Puto tamen fonti, quam magno flumini, eſſe propiorem.* Meminit Cicero lib. pr. de Orator. Sed fuſe de eo Dionyſius Halicarnaſſæus. Anaxagoras etiam quidam memoratur Laërtio lib. 2. Iſocratis auditor. Sed qui longè latèque nominis ſui decus, ac præceptoris Iſocratis, diffudit

ISEVS CHALCIDENSIS

ſucceſſor fuit.De eo Harpocration:*Iſæus unus eſt decem rhetorum, diſcipulus autem Iſocratis fuit, præceptor Demoſthenis, genere Athenienſis, quemadmodum ait Euripus in ſecundo de Iſocratis diſcipulis.* Non ſatis convenit inter ſcriptores de Iſæj patria. Harpocration Athenienſem, Philoſtratus in vitis ſophiſtarum Aſſyrium, Plutarchus in ejus vita Chalcidenſem fuiſſe tradit. Non una Iſocratis diſciplina contentus,Lyſiam etiam audivit Syra-

cuſanum, qui Demoſthenem, & vidit, & docuit adoleſcentem, floruitque poſt bellum Peloponneſiacum, & uſque ad Philippi imperium pervenit. Adoleſcentiam varijs corporis voluptatibus mancipavit. Vir factus frugaliſſimus omnium fuit. Stylum Lyſiæ videtur ſecutus. Et ſanè adeo ſimilis eſt, ut quis difficulter dignoſcere poſſit uter eorum orationum ſit auctor, ut in ejus vita ſcribit Plutarchus, quam, ut & Dinarchi oratoris ſcripſit etiam Dionyſius Halicarnaſſenſis, qui Iſæo tribuit orationem, *puram, accuratam, perſpicuam, propriam, evidentem, ac conciſam.* Iſæum audière Demoſthenes Athenienſis, quem, & Platoni operam dediſſe, ſcribit Hermippus, nec Cicero quà lib. pr. de Oratore, quà in libro, qui Brutus, diſſentit, noſque docuimus ſuprà lib. pr. cap. IV. Refert idem Hermippus Cteſilium hiſtoricum apud Calliam Syracuſanum, quoſdamque alios, dixiſſe: Iſocratis, & Alcydamantis artes Demoſthenem clam hauſiſſe. Aliis & Eubulidi Mileſio, adhæſiſſe ſcribunt, qui in dialecticis ſecundus nemini erat, &

Andr.

Andronico hiſtrioni, ut innuit Plutarchus. Quibus,& alijs Demoſthenes doctoribus uſus,ac præſtantiſſimis viris,quid mirū ſuperaſſe eum omnes ſui temporis Oratores præter, ut dicitur, Demadem unū? Vixit Demoſthenes annos,ut multi ſcribunt, LXXII. ut alij LXX. cujus, ut diximus, auditor Cineas Theſſalus Pyrrhi Regis legatus, vir longè diſertus, adeò ut hic plures Pyrrho civitates facunda oratione ſubegerit,quàm ille expugnaverit armis. De cujus memoriæ felicitate legendus Plinius lib. VII.natur. Hiſtor. cap. XXIV. Ejuſque de Senatu Romano judicium apud Plutarchum in vita Pyrrhi. Vixit temporibus Ptolomæi Lagi, & Philadelphi. Inſuper Iſæum audivit Lollianus Epheſius, qui ſcholæ, & populo præfuit Athenienſi, prætor enim fuit, qui magiſtratus in bellis delectus habebat. Epicheremata magnoperè laboravit invenire, & inventa diſtinctè loqui idoneus. Dicebat extemporaliter Iſæj præceptoris imitatione. Imago ejus Athenis erat in foro, auctore Philoſtrato. In horum claſſe aliqui, & Marcum Byzantium ſophiſ-

tam

tam reponunt, qui Adriani Principis ævo maximè floruit, à quo legatus Byzantiorũ magno honore excipitur. Sed cùm tẽpora de Iſæo Chalcidio refragari videantur, dicendum potiùs vîdetur alius Iſæj junioris fuiſſe eum auditorem, & fortè illius, cujus laudes C. Plinius Secundus Novocomenſis lib. 2. epiſt. 3. exequitur. Ex qua etiam colligitur Plinium hujuſce Iſæj fuiſſe coævum, qui, & ſub Trajano vixit, & Adriano, ad quæ tempora Iſæus ille Chalcidius pertingere minimè potuit. Quare ad alium Iſocratem prioris illius auditorem, ac ſucceſſorem gradum promovec. Qui

ISOCRATES AMYCLAS.

Ex Apollinia Ponti, vel, ut alijs placet, Heracleota, nobilis quidem, & ipſe orator, cùm certaverit cum claris oratoribus orando in Epitaphio Mauſoli Artemiſiæ viri. Fuit item alter Iſocrates, qui temporibus Ciceronis emicuit. Qui M. Antonio Mureto lib. pr. Var. lect. cap. pr. auctor orationis, quę Parenêſis

reneſis ad Demonicum inſcribitur; ſed cujus ille auditor mihi non conſtat. Strato quidam Laëtio memoratur lib. v. Iſocratis auditor, ſed Athenienſis, an Amyclej, affirmare non auſim. Vt & Dioſcorides, Athenæo inter Iſocratis diſcipulos recenſetur lib. pr. Dipnoſophiſtarum cap. 4. Quamvis prioris potiùs quàm poſterioris divinet animus.

CAPVT IV.

DE SECTA ELEATICA, QVÆ ITALICÆ SVBIICITVR

DVobus Ionicæ, & Italicæ philoſophiæ generibus tertium addidêre nonnulli, quod Eleaticum dixêre. Meminit Clemens Alexandrinus lib. pr. ſtrom. dicens: *Poſt ſeptem ſapientes, tres philoſophiæ ſucceſſiones fuiſſe Eleaticam, Italicam, Ionicam.* Theodoretus pr. Græcan. affect. Euſebius lib. x. Præparat. Evang. cap. 2. Benedictus Pererius lib. 4. de commun. omnium rerum natur. principiis, & affectionibus cap. 2. Docti, & eruditi Conimbricenſes in proœmio

mio logicæ. Hornius lib. 3. Hiſtor. Philoſoph. cap. x. Quam aliqui ſub Telauge Pythagoræ F. ab Ionica diſtinguunt, ut tertiam, alij Italicæ eam planè ſubijciunt, ita ut Pythagoræ ſucceſſerit Telauges F. Huic Xenophanes, cui Parmenides, Parmenidi Meliſſus Samius, & Zeno Eleata, Zenoni Leucippus, & Democritus, Democrito alij complures, inter quos Nauſiphanes, & Naucides, quibus deinde Epicurus. Quare Italicum genus dividi commodè poteſt in id, quod Crotone viguit, atque Tarento, cujus Pythagoras Princeps, auctor, & doctor. Et in id quod Eleæ maximè floruit, cujus Xenophanes auctor, ac primus magiſterij munus obivit. Mentio eſt hujus diſtinctionis apud Galenum, ſive Ætium in Hiſtoria Philoſophica. Eſt autem Elea Straboni lib. vi. civitas Lucaniæ à Phocenſibus condita, Parmenidis, & Zenonis Pythagoricorum patria, qui ab Elea Eleatæ dicuntur.

CAPUT

Capvt V.

De

MAGISTERIO XENOPHANIS Colophonii.

Eleatici philoſophandi generis Xenophanes Colophonius dictus eſt auctor, non quod nomen illi indiderit; (nam à Parmenide, atque Zenone Eleatis illud deſumpſit, vel ab Elea, in qua maximè floruit, ut Galenus, ſive Ætius ſentire videtur.) Sed quod res ipſe, ac dogmata invenerit primus, ac alijs ſequenda objecerit. Non eſt autem ignorandum, quod quamvis hoc philoſophandi genus Italico paſſim immediatè ſubjiciatur, minimè tamen Xenophanem illud probaſſe, cùm Italicam æquè, ac Ionicam ſpreverit ac contempſerit philoſophiam; Thaletis enim ac Pythagoræ ſententijs contraria planè docuit. Quamobrē cum Parmeniſco, & Oreſtadi Pythagoricis operam aliquot annos dediſſet, demum ab eis flagitioſè defecit, ut in pr. commentariorum Phavo-

Phavorinus tradit; quod minùs ſibi arriderent, ac probarentur, quæ eum docebant Pythagoræ myſteria. Etſi ſciam controverſum, vel nullius Xenophanem fuiſſe auditorem, vel Botonis cujuſdam Anhenienſis, aut Archelaj, non quidem illius, qui Socratem docuit; nam chronologiæ ratio planè refragatur, ſed alterius ſenioris, qui contra Homerum, & Heſiodum elegias conſcripſit, & Iambos, irridens ea quæ illi de Dijs ſunt commenti. Quod vel illud argumento eſſe poteſt, quod Xenophanes floruit circa Olymp. LX, qua, & Pythagoras Samius, ut ex Laërtio Voſſius oſtendit lib. IV. Hiſtor. Græcor. cap. 2. Archelaus autem, quem Socrates audivit olymp. LXXXIV. multò junior ut patet. Singularis Xenophanis ſententia fuit habitari in luna, eamque eſſe terram multarum urbium, & montium, ut Cicero ſcribit lib. 2. Academ. Quæſt. Eius in primis auditor fuit Nicander Colophonius F. Grammaticus, Poëta, & Medicus, qui Suida teſte, quamplurima ſcripſit. Meminit Cicero lib. pr. de oratore: *ſi conſtat inter doctos, hominem*

minem ignarum Aſtrologiæ, ornatiſſimis, atque optimis verſibus, Aratum de cælo, ſtelliſque dixiſſe: ſic de rebus ruſticis hominem ab agro remotiſſimum, Nicandrum Colophonium, poëtica quadam facultate, non ruſtica, ſcripſiſſe præclarè: qui ad eſt, cur &c. falſum autem planè eſt id, quod dicitur ſua Arato Nicandrum caſtiganda dediſſe, cùm multò antè extarit Aratum Nicander. Siquidem Aratus in precio erat olympiade cxxiv. regnante in Macedonia Antigono Demetrij Poliorcetæ F. Nicander autem multò antè, cùm *X*enophanes pater ejus emicuerit circa olymp. LX. Inſuper Xenophanem audivit Heraclitus Epheſius cognomento Scotinus vir animi, & ingenij magnitudine præclarus, humanarumque rerum deſpicientia valdè memorabilis. Dictus eſt autem Scotinus, quod ſcripſerit librum de natura incredibili brevitate, & obſcuritate. Quem librum cùm Socrates legiſſet ſibi ab Euripide datum, dixiſſe ferunt: quæ in eo intellexiſſet præclara ſibi videri quę autem non intellexiſſet, putare ſe non diſſimilia eſſe, ſed omnia Delio quopiam natatore indigere.

gere. Cicero lib. 3. de natura Deorum: *omnia Stoici veſtri Balbe ſolent ad igneam vim referre, Heraclitum, ut opinor, ſequentes: quem ipſum non interpretantur uno modo. Quem quoniam quid diceret intelligi noluit, omittamus.* Virgilius in Ætna:

Cogitet obſcuri veriſſima dicta libelli
Heracliti.

Atque eadem omninò mente Apulejus libro de mundo ſcripſit: *Heraclitus ſententiarum ſuarum nubilus.* Præclarè tamulta, & ſtylo tradidit, & ore docuit. Ariſtoteles lib. pr. de part. animal. cap. v. refert, quod cùm aliquando Heraclitus caſam ingreſſus eſſet furnariam, igniq́ue hiberni gratia diutiùs ſediſſet, ad quoſdam ſe quærentes, quos tam vilem ingredi domum puderet, dixiſſe: *Introite fidenter, ſunt enim hîc etiam Dij immortales:* ſignificans Deum ubique eſſe, ac totam rerum univerſitatem ſui numinis præſentia complere, ut ſacra teſtantur eloquia. De qua re legendus S. Thomas p. pr. q. VIII. M. Albertus ejus præceptor in p. diſtinct. XXXVII, atque inibi alij DD. Scholaſtici. Quidam, & Xenocratem, (non quidem illum

Cal-

Chalcedonium,qui Platonis auditor, ac poſt Speuſippum magiſterij munus in Academia obivit, ſiquidem ad eam ætatem Heraclytus pertingere nequivit, ut clariſſimè patet,) ſed alium longè ſeniorem, de quo item lib. pr. cap. IV. & Hippaſum Metapontinum Pythagoricum audiſſe ſcribunt. Alij Heraclito nullum præficiunt doctorem, verùm ſemet inveſtigandæ veritatis dediſſe, omniaque ex ſemetipſo didiciſſe. Peregrè profectus regiones multas luſtravit, populos vidit, quò majores ſapientiæ opes undique conquiſitas ſibi compararet. Ejus apud Strabonem lib. XVI. verba ſunt:

Veni ad Aethiopas, Sidonios & Erembos. Secta ab eo Heraclitiorum originem duxit, quæ Philoſophiam naturalem ſcientiam eſſe negabat, ut Plato in Theæteto, & lib. IV metaph. teſtatur Ariſtoteles. Quam ſententiam auditor ejus Cratylus acriter defendit, & uberrimè ampliavit. Et hic ille Cratylus eſt, quem Socrate vita functo Plato audivit ut Laërtius ſcribit lib. 3. Quamobrem in unum corpus triplicem philoſophiæ

loſophiæ rationem compigens, Heracliteorũ, Pythagoreorum ac Socraticorum; *in his quæ ſenſibus ſubjacent, Heracliti partes tuebatur. Porrò in his, quæ ad intelligentiam pertinent, Pythagoræ acquieſcebat, in rebus autem civilibus Socratem ſuum maximè amplectebatur.* Laërtius lib. IX ſcribit: Heraclitum docuiſſe Heſiodum, Pythagoram, Xenophontem, Hecateum. Cœterùm neſcio, an tempora ſatis congruant. Si enim Heſiodus Homero fuit antiquior, ut voluêre nonnulli, vel etiam ſynchronos, & coætaneus, ut alij, vel ſi Porphyrium ſequamur pluresque alios, dicamuſque centum poſt eum annis, ante videlicet primam olymp. annis XXXII, ut auctor eſt Suidas, floruiſſe, minimè adhuc eum, ut patet, docere potuit. Neque Pythagoras quidem ejus potuit eſſe auditor, ſiquidem Pythagora poſterior Heraclitus, ut ex Clemente Alexandrino lib. pr. ſtrom. clarè habemus. *Heraclitus poſterior fuit Pythagora, ut potè cujus ipſe meminit in ſuis ſcriptis, hic deſpexit Darium regem adhortantem ſe, ut ad Perſas veniret.* Quod ipſemet, vel ſui oblitus non diffite-

diffitetur Laërtius, qui lib. viii. fragmentum Heracliti affert, in quo Heraclytus de Pythagora loquitur dicens: *Pythagoras Mneſarchi F. ſe hiſtoria rerum exercuit ſuprà omnes homines.* De Xenophonte, & Hecateo quid dicendum ſit, patet cùm ex dictis ſuprà lib. pr. cap. 3. tum ex dicendis infrà capite præſenti. Floruit Heraclitus circa olympiadem lxix. Euſebius non ſatis ſibi in Chronicis conſtat, ubi de ætate Heracliti loquitur. Nam primò ait floruiſſe olymp. lxxii., poſteà verò clarum eum in Philoſophia fuiſſe inquit Olympiade lxxx. Vixit autem Heraclitus annos lx, ut lib. iv Pererius cap. iv. de Antiquis Philoſophis. Antiſthenes quidam Laërtio memoratur lib. vii è ſecta Heracliti.

PARMENIDES ELEATA

Xenophanis alter diſcipulus fuit, ut ex Ariſtotele, Clemente Alexandrino, Euſebio, Lactantio, atque Laërtio habemus: ſecùs docentibus Theophraſto, atque Suida: ille enim Anaximandro, hic Anaxagoræ incubuiſſe, ſcribit. Sotion

tion Peripateticus Ameniæ,& Diochetæ Pythagoricis. Floruit Parmenides circa olymp. LXX, ut ex præceptoribus ejus Xenophane, & Anaximandro, qui circa Olymp. LX. emicuêre, conjicere licet. Xenophanis primò ſecutus eſt placita, oppoſitam porrò inijt ille viam, ut Euſebius tradit lib. pr. præparat. Evang. cap. v. Longè tamen præceptore Xenophane politior fuit, atque ſubtilior, auctore Ariſtotele. Ejus momine Plato dialogum ſcripſit,ejuſque meminit in Thæteto, & Sophiſta,quibus in locis, magnum eum appellat, ſapientem, acrem, generoſum, patrem, & Magiſtrum Socratis, utentem pulchlerrimis rationibus in diſputando, & ait non modò ſententiam ejus, ſed etiam orationem eſſe valdè difficilem ad intelligendum, & profundo natatore indigere. Et quamvis Macrobius lib. pr. Saturn. & quidem in principio dicat: totum illum Socratis cum Parmenide ſermonem, à Platone contra chronographiæ rationem, & veritatem fuiſſe confictum, ac Parmenidem ante Socratis ortum vita fuiſſe defunctum, nihil planè

ens infinitum eſſe ajebat, ſimiliterque Meliſſus: Parmenides verò finitum, & ſi alij aliud de eis tradiderint. Conſule Pererium lib. IV, cap. V. ſuæ Philoſophiæ. & cap XII, XIII, XIV, in quibus ex Ariſtotele rationes trium illorum Philoſophorum ſolvit. Ac librum unum ſcripſit Ariſtoteles adverſus Meliſſi dicta. Fuit Meliſſus concivibus ſuis charus, quibus & præcepta plurima dedit, & Rempublicam adminiſtravit, claſſique præfuit. Florentem facit ex Apollodoro Laërtius olymp. LXXVIV. Ex quo ſpiſſus Laërtij error cognoſcitur, qui Parmenidem præceptorem florentem ſignat Olympiade nonageſima nona, cùm proximè poſt, diſcipulum ejus Meliſſum florentem faciat Olympiade LXXXIV. Socrates ſanè, qui juvenis erat ſene jam Parmenide obijt ſeptuagenarius ut diximus ſuprà lib. pr. cap. 3. anno pr. Olympiadis nonageſimæ quintæ. Porrò Meliſſo ſucceſſit alter Parmenidis auditor

ZENO ELEATA

Quem Galenus, ſive Ætius in Hiſtoria Philoſophica contenſioſæ philoſophiæ facit auctorem. Aliqui Euclidem Megarenſem huic ſectæ caput præficiunt, ita ut qui primùm Megarici, poſteà dicti ſint Eriſtici, hoc eſt, contentioſi; demùm Dialectici, quod valdè ſe in Dialecticis exercerent. At quando allata lib. IV. cap. 3. minùs denomiatio arrideat, qua ſequaces Euclidis primò Megarici à patria conditoris dicantur, poſteà non Eriſtici ſed Eretrici, vel Eretriaci à Menedemo, qui Eretrias, demùm Dialectici à Diodoro Iaſſio, qui cognomitatus eſt Cronus ob Appollonium præceptorem, quod mihi quidem magis placet: facilè conciliari poteſt quî uterque extiterit auctor. Zeno quidem quia is primus contentiones dialecticas movit: Euclides verò quia promovit, atque auxit; Euclides enim teſte Laërtio Parmenidis librorum fuit maximè ſtudioſus, quare credibile eſt in dialectis ſecutum eſſe Parmenidem, ejuſque

Zenonem

Zenonem auditorem. Simplicius ſanè Eudemi teſtimonio ait, Parmenidem Dialecticæ gnarum fuiſſe (quamvis apud priſcos nondum in uſu fuiſſent, ac obſervatione, regulæ diſtinguendi, demonſtrandi, aliæque Dialecticæ præceptiones, quæ poſteà ex ipſarum rerum conſideratione, præſertim autem ex ipſo uſu, & diſputandi exercitatione perveſtigatæ, & inventæ fuêre) ac proinde virum fuiſſe diſputando acutum: & acrem: nimirũ Parmenides apud Platonem in eo dialogo, qui ab ipſo nomen accepit, valde laudat, & cõmendat Socrati ſtudium Dialecticæ. Zenonem in logicis Stoici maximè ſequebantur. Et ſanè Logicam ab eo inventám Plato fatetur, atque idem in Sophiſtis Ariſtoteles tradit, atque ex eo lib. IX. Laërtius dicens eum: *Inventorem dialecticæ, ſicuti, & Empedoclem rhetoricæ, fuiſſe, Ariſtoteles auctor eſt.* Atque idem planè ait Sextus Empiricus lib. VII. adverſus Mathematicos, ſive de Philoſophia, qui adverſus Logicos, ut alios mittam. Nec dubium quin Zenonem hunc ſequatur in logicis Plato, quem Socrates

audivit, ut Zeno Parmenidem. Auctor nobis de utroque Plato initio Parmenidis. Zenonem inſuper Pericles audivit, atque Parmenidem, ut Plutarchus ſcribit in vita Periclis noſque primo diximus libro cap. 2. Florentem Euſebius in Chronico Zenonem Eleatam facit olymp. LXXXVI. Laërtius verò inſigni errore clarum in philoſophia fuiſſe ait circa olympiadem IX, quo quidem tempore, ne natus eſſe potuit, cùm fuerit Parmenidis auditor, & conſequenter natu minor. Zenonis prætereà auditor fuit

LEVCIPPVS ELEATA

ſive Abderites, ut aliqui, vel Mileſius, ut pr. phyſicorùm ſcribit Simplicius. Primus dicitur athomos rerum principia invexiſſe in ſcholis. Laërtius lib. IX. in Leucippo *Primus hic atomos principia ſubjecit.* Lactantius de ira Dei cap. X. *Primùm minuta illa ſemina, quorum concurſu fortuito coiſſe mundum loquntur, ubi, aut unde ſint quæro. Quis illa vidit unquam? quis ſenſit? quis audivit? An ſolus*

Leucippus

Leucippus oculos habuit? ſolus mentem? qui profectò ſolus omnium cœcus, & excors, fuit, qui ea loqueretur, quæ nec æger quiſquam delirare, nec dormiens poſſet ſomniare. Et infrà in eodem capite pluribus interjectis. *Nonne prodigio ſimile eſt, aut natum eſſe hominem, qui hæc diceret, aut extitiſſe, qui crederet? ut Democritum, qui auditor ejus fuit, vel Epicurum, in quem vanitas omnis de Leucippi fonte profluxit?* Cœterùm non Leucippum ac Homerum inventorem fuiſſe, ſed Moſchum ſive Moſchũ Sydoniũ,qui ante res Trojanas illuſtris emicuit, ex Poſidonio Strabo refert lib. XVI, quo loci Sidoniorum inventa commemorat. *Nunc quoque, & omnis reliqua Philoſophiæ copia maxima ab his civitatibus ſumi poteſt, ac (ſi Poſidonio credendum eſt) antiquum de atomis dogma Moſchi eſt, hominis Sidonij, qui ante Trojanas res fuit.* Meminit C. Rhodiginus lib. XVIII. cap. XXIV, & docti Conimbricenſes lib. pr. phyſicorum cap. VII. q. unica, art. 3. Leucippi pluriès Ariſtoteles mentionem quà in phyſicis, quà in methaphyſicis habet. Cujus auditor

DEMOCRITVS ABDERITA

Aliis Mileſius. Ariſtoteles lib. p. de Generat. text VIII. valdè Democritum laudat, eumque præfert Platoni, tum quia utitur rationibus proprijs, hoc eſt, phyſicis; Plato autem logicis, id eſt, communibus, & alienis: tum etiam quia, ejuſmodi ſtatuit principia, è quibus poſſit omnia, quæ contigunt in natura, ſi non verè, ſaltem propriè, aptè, & conſtanter explicare. Vide Ariſtotelem lib. 3. phyſicorum text. XXXI, id quod Plato non fecit. Cicero lib. pr. Tuſcul. & pr. de natura Deorum Democritum magnum virum appellat. Lib. verò 2. Academ. quæſt. *Quid loquar de Democrito? quem cum eo conferre poſſumus non modò ingenij magnitudine, ſed etiam animi, qui ita ſit auſus ordiri, hæc loquor de univerſis. Nihil excipit, de quo non profiteatur. Quid enim poteſt eſſe extra univerſa? Quis hunc philoſophum non anteponit Cleanthi, Chryſippo reliquiſque inferioris ætatis? Qui mihi cum illo collocati, quintæ claſſis videntur. Atque is non hoc dicit, quod nos, qui*

veri

veri aliquid eſſe non negamus, percipi poſſe negamus: ille verum eſſe planè negat. Eſſe ſenſus quidem, nec obſcuros dicit, nec tenebricoſos: ſic enim appellat eos is, qui hunc eſt maximè admiratus Chius Metrodorus initio libri, qui eſt de natura. Multos ſūmoſque viro audivit, à quibus etiam ſummos ſapientiæ quæſtus feciſſe, par eſt. Magosquoſdam primùm, atque Chaldæos habuit doctores, quos Xerxes Rex, cùm apud Patrem Democriti hoſpitaretur, reliquit, Herodoto auctore, à quibus puer Theologiam, & Aſtrologiā didicit: inde Leucippi evaſit auditor, atque Anaxagoræ quē cùm improbarit, referente in omnimoda hiſtoria Phavorino, veroſimile Laërtio non ſit, ut ejus fuerit auditor: mihi contrà, ac proinde ejus, cùm, minùs ſibi arrideret, improbaſſe doctrinam. An non hic diſcipulorum ferè mos eſt? Quot in hoc albo? recole ſuperiora. Demum ad Ægipti ſacerdotes contendit, à quibus Geometriam accepit. Inde Rubro mari emenſo ad Chaldæos, & Babylona, & (ut ſcribit Ælianus lib. IV. de var. Hiſtoria) ad Gymnoſophiſtas in Indiam penetravit: poſtremò Athe-

nas redijt ad Socratem, ubi ſe gloriatur gnotum omnibus fuiſſe: *Veni*, inquit, *Athenas, & nemo me novit. Conſtantem hominem, & gravem*, Cicero appellat lib. v. Tuſcul. *qui glorietur à gloria ſe abfuiſſe.* Sed lubet audire quid idem apud Euſebium dicat lib. x. Præparat. Evang. cap. 2. *Ego*, inquit, *multò plures quàm omnes cæteri homines, qui modò ſunt, regiones peragravi, multas urbes vidi, nec quiſquam me in demonſtratione linearum ſuperare potuit. Octoginta annos longè à patria, diſciplinarum amore abfui.* Glaucus Rheginus, qui Democriti ſæculo vixit, Democritum Pythagoricorum quopiam uſum magiſtro omninò affirmat. Cùmque Apollodorus Cyzicenus in Philolai venisse illum amicitiam ſcribat apud Laërtium eoque familiariter uſum; Pythagorica mihi probabile fit, ab eo hauſiſſe. Sed ut paucis multa complectar: In omni philoſophiæ genere adeò profecit, ut Pentathlos, ſive Quinquertio dici poſſet, hoc eſt, quinque certaminum. *Nàmque*, auctore Laërtio lib. IX. in Democrit. *naturalia, moralia, mathematica, liberalium diſciplinarum rationes,*

tiones. artiúmque omnem peritiam callebat. Tandem, teſte Cicerone lib. v. Tuſcul. ſe occœcavit, ut naturæ ſecreta ſubtiliùs rimaretur. Sed cur non elegantiſſimam Ciceronis loco cit. ſuper Democritiorum luminum amiſſione, orationem hic addam? *Democritus luminibus amiſſis alba ſcilicet, & atra dicernere non poterat: at verò bona, mala, æqua, iniqua, honeſta, turpia, utilia, inutilia, magna, parva poterat: & ſine varietate colorũ licebat vivere beatè, ſine notione rerum non licebat. Atque hic vir impediri animi aciem aſpectu oculorum arbitrabatur: & cùm alij ſæpè, quod eſſet ante pedes, non viderent, ille infinitatem omnem peregrinabatur, ut nulla in extremitate conſiſteret.* Vide A. Gellium lib. x. cap. XVII. Nec item illud, quod de Democrito, & Heraclito hiſtoriarum monumenta produnt, ſilebo. Democritum quidem quoties domo egrediebatur, riſiſſe: Heraclitum contrà, fleviſſe: quod alteri omnia, quæ agimus, miſeriæ: alteri ineptiæ viderentur. Et meminit Iuvenalis ſat. x. xxv.

Iãne igitur laudas, quod de ſapiẽtibus alter
Ridebat, quoties à limine moverat unum

Protuleratque pedē flebat contrarius alter?
Sed facilis cuivis rigidi cenſura cachinni,
Mirandum eſt unde ille oculis ſuffecerit humor.
Perpetuo riſu pulmonem agitare ſolebat.
Democcritus.

porrò de ætate Democriti non una eſt. ſcriptorum ſententia. Imò tot placita, quot capita, ut videre eſt apud Pererium lib. 4. de commun. omnium rerum natur. principijs, & affectionibus cap. IV. in Democr. Ipſe planè Herodoto aſſentior, qui auctore Diodoro Siculo lib. 3. cap. IX. ejus fuit ſynchronos. Is igitur cùm puerum Democritum ſcribat olymp. LXXV, quo tempore pater ejus Xerxes exercitui pabulum dedit., natum eum olymp. LXXII dicendum videtur, ac proinde floruiſſe, ut Apollodorus in Chronicis ſcribit circa olympiadem LXXX. Nec Plinius abludit, qui lib. XXX. cap. I. ait floruiſſe circa bellum Peloponneſiacum, quod incidit in Olympiadē LXXXI. Thraſylus librum ſcripſit de legendis Democriti libris. Theophraſtus etiam Ereſius librum de nemocrito elucubravit, ſed an de vita, Dde dogmatibus, quò magis inclinat

animus, non ſat mihi in confeſſo Democrito auditores fuêre quamplures. Diagoras Mileſius philoſophus, & poëta melicus poſt Pindarum, & Bacchilidem, quem Democritus ob phyſiognomiam, cùm eſſet ſervus, mille drachmis emit, ut diſciplinis eum erudiret. Emicuit olymp. LXXXVIII, dictuſque eſt atheus, quod nullos putaret eſſe Deos, myſteriaque adeò contempſit, ut etiam ſectatores averteret. Cujus quidem rei præter Suidam meminit Cicero lib. pr. de nat. Deor. Arnobius lib. VIII. adverſus Gentes, & ejus auditor Lactantius de Ira Dei cap. IX, Theodoretus, & alij. Mileſium facit Cicero loco cit. & Euſebius lib. XIV. cap. VI. Præparat. Evang. Athenienſem verò contra Græcos Tatianus: Euſebius in Chronico ſcribit emicuiſſe Diagoram olymp. LXXIV, ſed cùm præceptor ejus Democritus puer fuerit, ut vidimus, olymp. LXXV, potiùs cum alijs dicendum videtur emicuiſſe eum Olymp. LXXXVIII. Naucydes, & Nauſiphanes Tejus, quem Epicurum audiſſe nonnulli ſcribunt. Præterea ex ſecta Democriti Bion fuit Abderites mathematicus, qui Atticè,

& Ionicè ſcripſit, ut in Bione Boryſtenite lib. iv. Laërtius. Bolus etiam Democriteus philoſophus, qui præter librum de arte medica, hiſtoriam etiam vulgavit, ut ait Suidas, ex qua Theophraſtus lib. ix. de Plantis hæc verba recitat: *Oves Pontica abſynthium depaſcentes carent bile:* diverſus autẽ planè eſt hic Bolus à Mendeſio, qui Pythagoricus, ut ex Suida liquidò conſtat. Democrito inſuper auditores bini, qui ſequuntur fuêre

PROTAGORAS ABDERITES

Qui Ciceroni lib. pr. de nat. Deorum maximus dicitur ſuæ tempeſtatis ſophiſta. *Abderites quidem Protagoras, cujus à te modò mentio facta eſt, ſophiſta, temporibus illis vel maximus, cùm in principio libri ſic poſuiſſet:* De Dijs *neque ut ſint neque ut non ſint habeo dicere: Athenienſium uſſu urbe, atque agro eſt exterminatus, librique ejus in concione combuſti.* Meminit Arnobius lib. viii. adverſus Gentes, & ejus auditor illis verbis Lactantius libro de ira Dei cap. ix *Primus omniũ Protagoras extitit temporibus Socratis, qui ſibi diceret, non liquere, utrum eſſet aliqua divinitas, nec ne? Qua diſputatio ejus adeo*

impia, contra veritatem, & religionem judicata eſt, ut & ipſum Athenienſes expulerint ſuis finibus, & libros ejus in concione, quibus hæ continebantur, exuſſerint. A. Gelius lib. v. cap. 3. ſophiſtarum accerrimum, & inſyncerum philoſophum vocat. Cœterùm Phavorinus in omnimoda hiſtoria literis adeo præſtititiſſe ſcribit, ut ſapientia appellari meruerit. Ejus nomini Plato librum inſcripſit, qui contra Sophiſtas. Euſebius lib. XIII. Præparat. Evang. cap. VII Protogoram Xenophanis auditorem facit, variatque nonnihil hic ſeriem dicens: *Xenophanem autem Protagoras, & Neſus audierunt: Neſum Metrodorus, Metrodorum Diogenes, Diogenem Anaxarchus, Anaxarchum Pyrrho, à quo ſcepitci philoſophi appellati ſunt.* Nos, quam cepimus, viam ineamus. Et de his quiſque, quod ſibi magis libuerit, opinetur, ac ſeriem ſequatur. Primus Protagoras mercede docuiſſe traditur. Vide A. Gellium lib. v. cap. 3. Apulejum Floridorum lib. IV. M. Fabium Quintilianum lib. 3. cap. pr. Suidas de eo meminit his verbis: *Hic priùs bajulus fuit: cùm verò in Democritum incidiſſet, eruditionis amore captus fuit, ac phi-*

loſophatus ad eloquentiam ſe contulit, & primus nomen ſophiſtæ accepit. Primus etiam hic contentioſas orationes invenit, & orationis certamen inijt, & centum minas à diſcipulis exegit. Propterea & ſermo mercenarius dicebatur. Adi Laërtium, à quo longè plura de Protagora diſces. Auditores Protagoras habuit Prodicum Chium, quem ob elegantiam ſermonis, dicendique compoſitionem maximus Tyrius maximè commendat diſſert. VII. Ejuſque meminit Cicero lib. pr. de nat. Deor. lib. verò 3. de Oratore ait: *Quid de Prodico Chio, quid de Traſymacho Chalcedonio, de Protagora Abderita loquar, quorum unuſquiſque plurimùm temporibus illis etiam de natura rerum, & diſſeruit, & ſcripſit?* Quanti autem orationes Prodici fieri ſolerent, illud argumento eſſe poteſt, quod qui eum audire maximè cupiebat, is, Suida teſte, quinquaginta drachmas perſolvebat: hoc eſt, ex Voſſio de Rhetor. natur. ac conſtit. cap. x. quatuor coronatos Gallicos, ac duos inſuper regales Hiſpanicos. Quem inter cœtera maximè liber ejus commendavit, in quo finxit Herculem adoleſcentem virtuti pariter, ac volup-

tati congreſſum, & utraque exquiſita oratione illum ad ſe pelliciente, tandem ſumma cum laude virtutis ſudores cenſuiſſe antiquiores, quàm voluptatis ad tempus inanem planè frutionem. Meminit Xenophon lib. 2. de dictis, & factis Socratis. Et ineandem ſententiam loquitur Virgilius de Litera Pythagoræ. Silius Italicus lib. XIV. de bello Punico ſecundo. Lactantius lib. VI. divin. Inſtit. cap. 3. & 4. Inſuper docuit Protagoras Calliam Hipponici F. & germanum ejus ex matre Paralũ Pericle natũ, & Charmidẽ Glauconis, & alerũ Periclis Xanthippũ, quãvis Macrobius in principio primi libri ſaturn. ſecus ſentire videatur, dicens: *Paralus, & Xantippus, quibus Pericles pater fuit cũ Protagora apud Platonem diſſerunt ſecundo adventu Athenis morante, quos multò antè infamis illa peſtilẽtia Athenis abſumpſerat.* Philippidem Philomeli & Antimirum Mendeum, qui inter omnes Protagoræ auditores inſignior habebatur, ut in Protagora Plato. Quo quidem loci, & Hippiam Elienſem Protagoræ auditorem fuiſſe videtur, qui ſophiſta, ac philoſophus fuit illuſtriſſimò artium multitudine ſophiſtis omnibus

prior, nec eloquentia ulli ſecundus ut de eo cenſet Apuleius lib. 2. Floridorum. Cicero lib. 3. de oratore ex Platone in Hippia minori, ſive de mendacio, refert Hippiam im maxima quiquennali ludorum Olympicorum celebritate gloriatum, nihil eſſe ulla in arte rerum omnium, quod ipſe neſciret. Quod quidem cuncta penè Græcia audiente ſibi arrogavit, hoc eſt, non ſolùm artes liberales, ac ingenuas, quæ non opera manus, ſed animi contemplatione acquiruntur, ut Geometriam, Muſicam, literarum cognitionem, quam dicimus Grammaticam, cui annexa eſt cognitio poëtarum: phyſicam de naturis rerum: ethicam de hominum moribus, politicam, de rebus publicis, callere ſe jactabat: ſed etiam artes illiberales, quas Græci mechanicas vocant, quæ manu exercentur, ut fabrilem, ſutriam, ſartoriam. Vnde omnia, quæ habebat, corporis ornamenta oſtendebat, ac manibus ſe ſuis illa confeciſſe, ajebat: annulum, ſigillum, ſtrigilem, vaſculum unguentarium, ſoccos, pallium, interulam, cingulum nec Perſicis ipſis precio cedens; & alia de quibus le-

gendus lib. 2. Floridorum L. Apulejus, qui pluribus ſingula minutim proſequitur. Et ſanè, ut Cicero etiam ex eodem Platone, quamvis neuter illius meminerit. Socrates apud Platonem in Protagora narrat, ut viderit Hippiam apud Protagoram in throno ſedentem circa quem per ſubſellia nonnulli ſedebant Eryximachus Acumeni F. Phædruſque Myrrhinuſius, Andron Androtione genitus, alijque nonnulli partim cives, partim etiam peregrini, qui de rebus naturæ ſublimibus, aſtrorumque progreſſibus intorrogare Hippiam videbantur, ille autẽ in throno ſedens dubitationes ſingulis enodabat. Docuit Protagoras Archagoram Theodoti F. Evathlum de quo A Gellius lib. v. cap.xx. legendus. Et meminit Quintilianus lib. 3. cap. 1. Hecatæum Mileſium hiſtoricum Hegeſandri F. qui Suidæ vixiſſe dicitur Olymp. LXV, ad quam & Anonymus retulit. Sed ſi Protagoræ auditor fuit, multo juniorem fuiſſe neceſſum eſt dicere, cùm Democritus Protagoræ præceptor circa olymp. LXXX. floruiſſe conſtet ex dictis. Quod ſi Heracliti diſcipulus, ut aliquibus placuit, cùm Heraclitus flo-

ruerit ex Laërtio circa olymp. LXIX. ſanè eo etiam aliquanto juniorem fuiſſe dicendum videtur. Protogoras autem ſecundùm Euſebiū emicuit olym. LXXXIV, & fortè deinceps. Democriti item auditor fuit

METRODORVS CHIVS

Quem, & Neſum conciuē ſuum audiſſe, aliqui tradunt. Magni nominis philoſophus, & medicus fuit, multaque ſcripſit ad artem ſam pertinentia, quorum non uno in loco meminit Plinius, ut Voſſius advertit. Præterea *Tr ica*, quæ diſertim Athenæus Metrodoro tribuit Chio, nam præter hunc tres alij fuêre, Sepſius, de quo ſuprà lib. 3. cap. 3. ſect. 1. in Ariſtarcho. Athenienſis, de quo lib. pr. cap VI. in Carneade Cyreneo; & Lampſacenus, cujus item eodem loco fit mentio, & infrà lib. VI. cap. pr. Metrodori Chij meminit Cicero lib. 2. Academ. quæſt. dicens: eum maximè admiratum Democritum. Floruit æqualis Xenophonti, ac Cteſiæ Cnidio, qui ævo Artaxerſis cognomento Mnemonis vixerunt, ejuſque res geſtas ſcrip-

ſerunt. Artaxerxes autem paucis aliquot ante Socratis obitum annis, hoc eſt, circa olymp. XCIII, Perſarum imperium ſuſcepit. Porrò Metrodoro auditores fuêre Anaxarchus Abderita, quem Democritium Cicero lib. 3. de nat. Deor. & 2. Tuſcul. appellat. *Anaxarchum Democritium à Cyprio tyranno excarnificatum accepimus.* De cujus generis morte legendus Philo Iudæus, libro: *Quod omnis probus liber*, qui ſcribit eum à Nicocreonte Cypri tyranno in mortarium ſaxeum conjectum, ibique ferreis malleis contuſum idemtidem illud repetijſſe: *tunde, tunde Anaxarchi follem; Anaxarchum enim non tundis.* Quin dentibus abſciſſam, & commanducatam linguam, in tyranni os expuiſſe. Meminit Plinius lib. VII. natur. hiſtor. cap. XXIII. Valerius Max. lib. 3. cap. 3. Vixit autem Anaxarchus olymp. CX, ut diſertim ſcribit Laërtius lib. IX. in Anaxarcho. Galenus, ſive Ætius ſcribit Anaxarchum ſecutum Phædonem Elienſem, qui Pyrrhonem docuit, ſcepticæ philoſophiæ nonnullis auctorem. Prætereà Diogenem Smyrnæum audivit Laërtio auctore loc. cit.

cit. qui diſcipulus itèm Metrodori Chij, ut ex Clemente Alexandrino habemus lib. pr. ſtrom. Metrodorum Chium audivit Magnus Hippocrates Cous medicorum omnium Princeps vir ſtupendæ eruditionis, & accurationis. Inſuper Herodicum Selymbrianum(alium prorſus ab Herodico Cratetis diſcipulo, qui Ariſtarchi æqualis, cùm non levis inter eos contentio fuerit, ut ex Suida ſcimus) ſicut in Hippocratis vita ſcribit Soranus, ac lib. pr. artis Gymn. Hieronymus Mercurialis, qui lib. 3. var. lect. cap. vi. Democrito etiã adhæſiſſe prodit. Quæ & aliorum apud Cornelium Celſum initio ſui operis, ſententia fuit. Quæ tamen doctiſſimo Benedicto Pererio lib. 4. de commum. omnium rerum natur. principijs, & affectionibus cap. 4. in Democr. minus probatur, imò planè falſam cenſet, ea ductus ratione, quod fuerint æquales, ut ex Plinio lib. xxx. natur. hiſtor. cap. pr. colligitur Quo apud Laërtiũ lib. ix confirmat Athenodorus lib. viii deãbulationũ. Et liquidò conſtat, cùm Hippocrates Democritũ morbo laborantẽ inviſerit, atque curaverit, multiſque in rebus exploratã, & co-

gnitam ejus ſapientiã fuerit admiratus. Cœterùm etſi æquales fuiſſe dicamus, hoc eſt, eodem tempore vixiſſe; non tamen ætate ita æquales fuerunt, ut non alter alterius potuerit eſſe auditor, hoc eſt, Democriti Hipocrates; cùm enim ex dictis natus ſit Democritus Olymp. LXXII, Hippocrates verò anno primo olymp. LXXX, ut Soranus in vita Hippocratis, ex libro pr. Iſtomachi de ſecta Hippocratis refert, non video, cur Democriti Hippocrates auditor eſſe non potuerit, ut ij apud Celſum ſunt opinati. Nec proterea tamen cum viro ſummo cui aliter videtur, contentionis funem traxero, Summa porrò Hyppocratis placitis ſemper auctoritas, & quaſi, ſacra, fuit. Quippe qui non tantùm omnia priſcorum Philoſophorum adunguem tenuerit ſcita, ſed & omnium judicem egerit, atque adeò Hornio dicitur lib. 3. Hiſtor. Philoſoph. cap. XII, quod is ipſis Ægiptijs palmam præripuerit, illi enim jam ab antiquiſſimis temporibus Medecinæ laudem unicè ſibi vendicabant: at repertus eſt tandem Hippocrates, qui eam cum philoſophia ita conjunxit, ut dubium ſit, ma-

jorne philoſophus, an medicus fuerit. Quî autem ad tantam ſapientiam pervenerit idem docet Hornius loco cit. Hippocratis auditores fuêre Theſſalus, & Draco, qui ſibi gnati, & quidem ambo magni nominis medici; quos enim in Nebulis tanquam blennos, & ſtolidos Ariſtophanes irridet, non Hippocratis Coi, ſed Athenienſis gnati fuêre, ut pluribus Voſſius Orator. Inſtit. lib. 2, cap. XIV. ſect. VIII. Hippocratis quoque diſcipulus fuit Dexippus Cous, qui librum ſcripſit de re medica unum, & de Præcognitonibus, duos, auctore Suida. Prodicus Selymbrianus, qui inſtituit medicinam, quam vocant Iatralepticen. Plinius lib. XXIX. cap. pr. *Prodicus Selymbriæ natus, diſcipulus Hippocratis, inſtituens quam vocant Iatralepticen, reunctoribus quoque medicorum ac mediaſtinis vectigal invenit.* Prætereà Hipocratis gener, diſcipulus, & ſucceſſor Polibus fuit, qui de affectibus, de natura hominis, de ratione victus ſalubris & de ſemine ſcripſit, qui vulgò libri Hippocrati attribuuntur; ſed falſò. At de medicorum ſerie ac magiſterio, non hîc locus plura agendi.

DE MAGISTERIO *ANTIQVORVM* PHILOSOPHORVM

LIBER VI.

CAPUT PRIMUM.

DE EPICVRI ATHENIENSIS; SVCCESSORVMQVE MAGISTERIO.

IN pago Gargettij, qui non procul ab Ahenis, naſcitur Epicurus anno 3. olymp. CIX, ut ex Apollodoro in Chronicis habemus, VII. poſt Platonis obi-

rum annis. Quo loci, & Pericles eſt ortus, qui proptereà Gargettius Athenæo appellatur lib, VI. cap. V. Ex Philaidarum familia fuit, ut in libro de ingenuitate Metrodorus literis prodidit. Pater illi Neocles ludimagiſter, mater Chæreſtrata. De cujus educatione Heraclides Serapionis F. cognomento Lembus, qui epitomen fecit librorum de ſucceſſionibus Sotionis philoſophi peripatetici, ita ſcribit: *Cùm Athenienſes Samum ſortiti eſſent, illic nutritum eſſe.* Quod & Strabo graviſſimus auctor auctoritate ſua planè fulcit, & firmat lib. XIV. ac quomodo Athenienſes Samum ſortiti ſint, aperit: *Sed Athenienſes prius miſſo Pericle imperatore, & Sophocle poëta cum eo, Samios non obtemperantes gravi obſidione affecerunt. Poſteà duo municipum millia ex ſuis miſerunt, in quibus fuit Neocles Epicuri pater ludimagiſter, quem & hîc, & in urbe Teo educatum ferunt, adoleſcentiam verò Athenis egit, quo tempore Menander comicus adhuc ephebus eſſet.* Cujus quidem educationis gratia, quam Sami Epicurus egit, dictus eſt Samius. Quò procuidubiò, & Timon alluſit

alluſit, cùm inquit:

Vltimus ex phyſicis, Samiáque hic ultimus ora
Præceptor juvenum, & morum formatur amœnus.

ſicut dictus eſt etiam Lampſacenus quod Lampſaci diu commorarit, ut Strabo lib. XIII. ſcribit. Quod autem Athenis egerit Epicurus adoleſcentiam ut, Strabo teſtatur, multò antè ſcripſerat Heraclides (ſiquidem vixit auctore Suida temporibus Ptolomæi VI, hoc eſt, Philometoris, qui imperare cœpit Olympiadis CL. anno primo, deſiit verò anno 3. Olympiadis CLVIII) inquit enim: *demùm octavum, & decimum agentem ætatis annum, rurſus Athenas conceſſiſſe, quo tempore, & Xenocrates in Academia, Ariſtoteles Chalcide ſcholam habebant,* Annum agebat XII, vel XIV, cùm philoſophiæ ſacris initiari cœpit ipſomet teſte ad quã ſe contuliſſe grammaticos, & ſophiſtas inſectantem, quod percuntanti, quidnam eſſet apud Heſiodum Chaos enodare non valuiſſent, auctor eſt Apollodorus Epicureus lib. pr. du vita Epicuri. Quem porrò docto-

rem ac præceptorem habuerit non ſatis inter convenit ſcriptores. Aliqui enim nullum audiſſe dicunt, & quidem ipſummet teſtem gloriabundum adducunt, ut ex Ciceronis verbis lib. pr. de natura Deorum haud obſcurè colligitur: *Epicurus oſcitans hallucinatus eſt, cùm quidem gloriaretur, ut videmus in ſcriptis, ſe magiſtrum habuiſſe nullum: quod & non prædicanti tam facilè quidem credam, ſicut mali ædificij domino glorianti ſe architectum non habuiſſe,* Alij Xenocratem, ut Demetrius Magneſius apud Laërtium. Alij Pamphilum quemdam Platonis auditorem, cùm Sami moraretur audiſſe. Apollodorus in Chronicis Nauſiphanem, & Praxiphanem. Et quidem de Nauſiphane aliqui tradunt in vita Epicuri normam illum ſcripſiſſe, de Nauſiphanis tripode, cujus, & fuiſſe auditorem, docent, ut ex Laërtio habemus. Quibus Cicero præluxiſſe videtur lib. pr. de nat. Deorum. *Nihil olet Epicurus ex Academia, nihil ex Lyceo, nihilne è puerilibus quidem diſciplinis. Xenocratem audire potuit: quem virum Dij immortales! Et ſunt, qui*

putant

putant audiuiſſe , ipſe non vult. Credo plùs nemini. Pamphilum quendam Platonis auditorem ait à ſe Sami auditum, ibi enim adoleſcens habitabat cum patre,& fratribus, quod in eam pater ejus Neocles agripeta venerat. Sed cùm agellius eum non ſatis aleret , ut opinor ludimagiſter fuit. Sed hunc Platonicum mirificè contẽnit Epicurus. Ita metuit ne quid unquã didiciſſe videatur. In Nauſiphane Democriteo tenetur : quem cùm à ſe non neget auditum , vexat tamen omnibus contumelijs. Atqui ſi hæc Democritea non audiſſet , quid audierat ? Quid eſt in phyſicis Epicuri non à Democrito ? Ludum Epicurus à ſuo nomine primùm Mitylenæ , mòx Lampſaci , demum Athenis aperuit. Quo loci ,& fatis conceſſit anno pr.olymp.cxxvii , non cvii, ut perperàm multi,quin ipſemet Laërtius lib. x, obijſſet enim antequam naſceretur, naſcitur quippe , ut ex Apollodoro in Chronicis ſuprà dicebamus ann.3. Olymp. cix, annoſque vixit lxxii , ut lib. de Fato Cicero ſcribit, Quare Laërtio mendum ſpiſſimum ſubeſt ; ut & Euſebio in Chronicis , qui Epicurum florentem facit Olymp. cxii , quo qui-

dem tempore Epicurus vix pueritiam ex‿gerat tredecim duntaxat annis natus. Si extarent, quos de pubertate Epicuri ſcripſit Herodotus, libri, & quos de vita ejuſdem Appolodorus Epicureus, hæc nobis profectò, ut & alia multa de Epicuro comperta, quibus cùm careamus, fides prorſus adhibenda ſcriptoribus, qui ubi de Epicuro, non ſemel infidi. Inter recentiores literis eam conſignavit Petrus Gaſſendi. Non adhuc vidi. Epicurus primus hortos Athenis inſtituit, cùm ad eum uſque diem moris non eſſet in oppidis rura haberi, ut Plinius docet lib. XIX. natur. hiſtor. cap. IV. à quo propterea Epicurus hortorum magiſter vocatur. *Iam quidem hortorum nomine in ipſa urbe delicias, agros, villáſque poſſident. Primus hoc inſtituit Athenis Epicurus, hortorum magiſter. Vſque ad eum, moris non fuerat in Oppidis rura haberi*. In ijs ſcholam habuit, in qua auditores inſtituebat, quos illius dogmaticæ Syrenes occuparunt. Nec dubium eſſe poteſt, quin huc vates reſpiciant cùm Epicurei Horti mentionem agunt. Et quidē Virgilius in poëmate, quod Ciris inſcribitur (modò Virgilus ejus ſi auc-

tor, quod Scaliger cenſet) cùm inquit:

Et ſi me vario jactatum laudis amore,
Irritáque expertum fallacis præmia vulgi
Cecropius ſuaves ſpirans hortulus auras
Florentis ſophiæ viridi complectitur ūbra.

Quis enim eſt adeò bardus, qui ex dictis non planè ſciat per *hortulum* Epicuri ſcholam ſignificari?

Sextus Propertius lib 3. ad Cynthiam.

Magnum iter ad doctas proficiſci cogor
Athenas.
Illic vel ſtudijs animū emendare Platonis
Incipiam: aut hortis docte Epicure *tuis*

Petronius Arbiter

Ipſe pater veri doctis Epicurus in hortis
Iuſſit, & hanc vitam dixit habere Deos.

Pub. Statius Papinius lib.pr. ſylv. in Tiburtino Manlij Vopiſci

——— *Cultóque ſenex Gargettius horto.*

Dec. Iunius Iuvenalis ſat. XIII.

——————— *non Epcicurū*
Suſpicit exigui lætum plantaribus hortis.

& ſat. XIV.

——————— *ſiquis me conſulat, edam*
In quantum ſitis, atque fames, & frigora poſcunt.
Quantum Epicure tibi parvis ſuffecit in hortis.

atque eadem planè mente cœteri loquuntur. T. quidem Pomponius Atticus lib. pr. de legibus loquens de Antiocho Aſcalonita Academico nobiliſſimo, & prudentiſſimo philoſopho, cujus fuerat aliquando Pomponius auditor, quemque familiarem ſuum appellat. *Magiſtrum enim non audeo dicere* (inquit Pomponius) *quocum vixi, & qui me penè ex noſtris convellit hortulis, deduxitque in Academiam perpauculis paſſibus.* Summa floruit Epicurus nominis celebritate longè latèque ingenij ſui decus diffudit Cicero lib. 2. de Finibus: *Philoſophus nobilis Epicurus, quo non ſolùm Græcia, Italia, ſed etiam omnis Barbaria commota eſt.* Libro autem v. de Finibus: *Nec Epicuri licet oblivisci, ſi cupiam: cujus imaginem non modò in tabulis noſtri familiares, ſed etiam in poculis, & annulis habebant.* cujus rei meminit Alexander ab Alexandro lib. 2. Genial. dierum cap. XIX & lib. 3. cap. XVIII. C. Rhodiginus lib. XX. lect. Antiq. cap. XXX. Non me quidem, fugit quàm multa ſint Philoſophorum contra eum dicteria, convicia, ſcommata,

mata, ac contumeliæ, ut ad eas enume-randas face, & viatico opus eſſe videa-tur. Franciſcus Petrarcha lib. 3. Rerum memorand. tract. 2. cap. XLVII. *Epicurum omnes lacerant, omnes huic obſtrepunt, omnes inſultant, omnis in hunc Philoſopho-rum ſecta conſpirat*; ut probè in eum qua-dret veterum ſcriptorum adagium: *Aſi-nus Ægiptius.* Cujus meminit C. Rhodi-ginus lib. XXX. Antiq. lect. cap. XXI. Sed & multa ſunt in eum clarorum virorum elogia, multa teſtimonia laudum ſua-rum pleniſſima. Idem Petrarcha lib. pr. de vita ſolitaria tract. IV, cap. VIII. *Epicu-rus quidem quibuſdam licet opinionibus in-famatus; magnorum tamen judicio magnus vir.* Idem in præfatione epiſtolarũ rerùm familiarium. *Epicurus philoſophus vulgò infamis, ſed majorum judicio magnus, epiſ-tolas ſuas*, &c. Annon præclarè de eo ſenſit T. Lucretius Carus genere qui-dem nobiliſſimus, ſed philoſophia Epi-curi longè nobilior, cùm lib. 3. de Re-rum natura his eum verbis alloquitur

E tenebris tantis tam clarum extollere
lumen
Qui primus potuiſti, illuſtrans commoda

vitæ

Te ſequor ô Grajæ gentis decus, inque tuis nunc
Fixa pedum pono preſſis veſtigia ſignis.
Non ita certandi cupidus, quàm propter amorem
Quod te imitari aveo. Quid enim contendat hirundo
Cycnis? aut quid nam tremulis facere artubus hœdi,
Conſimile in curſu poſſint, ac fortis equi vis?
Tu pater es rerum inventor, tu patria nobis
Suppeditas præcepta, tuis ex inclite Chartis
Floriferis, ut apes in ſaltibus, omnia libant:
Omnia nos itidem depaſcimur aurea dicta,
Aurea perpetua ſemper digniſſima vita.

Quanti autem eum fecerit L. Anneus Seneca graviſſimus in literatorum Republica Senator, teſtes poſſunt ejus ad Lucillium epiſtolæ, in quibus magnus undique vir ſibi videtur; ejuſque dicta maximis laudibus effert, nunc *magnificas*

ficas voces, nunc *aurea*, nunc *egregia dicta* appellat: modò *nobiles ſentētias*, nunc *inſignia præcepta* nunc *præcepta magni viri* & cētenis aliis ejuſmodi titulis ornat, quos longū nimis hîs enumerare ſingulos. Lucianus in Alexandro, ſeu Pſeudomante. *Nam cum quo tandem juſtiùs bellum gerat, homo præſtigiator, & monſtris, ac portentis amicus, veris inimiciſſimus, quàm cum Epicuro, viro videlicet, qui rerum naturam perſpectam haberet, quique unus quid in his eſſet verum videret?* Et inferiùs loco cit. *Tum verò (quod quidem tibi fuerit etiam jucundius) ut Epicurum ulciſcerer, virum verè ſacrum, ingenióque divino, quique ſolus, quæ verè ſunt honeſta, & noverit, & tradiderit: quique ſolus extiterit, qui liberos reddere ſolitus ſit eos, qui ſecum haberent conſuetudinem.* Nec è recentioribus defuerunt, qui Epicuri ſumma cum laude meminerint. Rodericus quidem à Caſtro Luſitanus lib. 3. de natura mulier. cap. 2. *Si quæreres ab Epicuro viro alioqui modeſtiſſimo, atque optimo, & ſui temporis philoſopho ſummo, ecquiſnam eſſet coitus uſus, &c.* Mitto centena alia hic tum veterum, cùm recentiorum in

eandem ſententiam præclara teſtimonia, fuſè daturus in Epicuro expenſo, qui læto Deo, bonoque favente Genio, propediem cuſus lucem videbit. In eo, & objecta quæque tanto viro, pro ingenij mei tenuitate planè, & plenè conabor diluere. Nec enim ſciolorum quorundam, ac ineptè religioſorum, judicium, ut ciccum, ut cum Plauto loquar, morabor, vel cum ipſis piaculum fore exiſtimabo, ſi quæ Epicurus gẽtilis philoſophus, humanæ inſcitiæ circũ fuſus tenebris, & cœleſti lumine deſtitutus, perperã dixit, vel ſcripſit, in mitiorẽm partem benigniore interpretatione citra vim ullam, inflectam: vel cùm tot ejus præclara apud profanos ſcriptores occurrant proloquia maximè apud Senecã quà in epiſtolis, quà alibi, eò animũ inclinem, ut minimè credam illum ſenſiſſe, quæ perperàm ſenſit, ſcripſit, vel dixit, ſed longè aliam ejus fuiſſe ſententiam; hic enim error non modo humanus eſt, ſed ſæpè etiam homine digniſſimus, ut docet S. Auguſtinus tom. VI. libro de utilitate credendi ad Honoratum cap. IV. ubi tria genera erroris

roris diſtinguit, quibus homines errant, cùm aliquid legunt. Primum genus eſſe dicit,in quo id quod falſum eſt, verum putatur, cùm aliud qui ſcripſit putaverit. Alterum quamvis non tam latè, non tamen minùs noxium, cùm id,quod falſum eſt, verum putatur, id tamen putatur, quod etiam ille, qui ſcripſit, putavit. Tertium cùm ex alieno ſcripto intelligitur aliquid veri,cùm,hoc ille, qui ſcripſit, non intellexerit. In quo genere non parum eſt utilitatis, imò ſi diligentiùs conſideres, totus legendi fructus eſt integer. Deinde ſinguli generis exempla dat. De tertio autem, quod maximè ad rem noſtram facit, ait: *Tertio generis eſt illud accõmodatum, ſiquis Epicurum, lecto eius in libris aliquo loco, ubi continentiam laudat, in virtute illud ſummum bonum poſuiſſe aſſeveret, & ideo non eſſe culpandum. Huic enim quid obeſt error Epicuri, ſi ſũmum bonum hominis, voluptatem ille corporis credit, cùm iſte non ſe dederit tam turpi noxiáque ſẽtentia, neque ob aliam cauſam ei placeat Epicurus, niſi quod eum ſenſiſſe non putat, quod ſentiri non oporteat? Hic error non modò humanus*

nus eſt, ſed ſæpe etiam homine digniſſimus. Quod porrò oppoſito exẽplo declarat, ut apud ipſum loco cit. videre eſt. Cùm itaque multas præclaraſque Epicuri habeamus ſententias, atque effata, quæ nonniſi virtutem redolere videntur, ut minimè dubitaverit graviſſimus, & accutiſſimus philoſophus L. Anneus Seneca, quamvis ſectæ Stoicæ alumnus, quæ Epicureæ jam ab ipſis incunabulis, bellum indixerat, in libro de Vita Beata cap. XIII, dicere: *mea quidem iſta ſententia eſt, ſancta Epicurum; & recta præcipere,* cur verebimur nos; ſi quæ ejus occurrunt perperàm dicta (& fateor multa, utpotè philoſophi ethnici, atque gentilis) begnigna aliqua interpretatione mulcere, & vel ex benè dictis, etiam malè dicta, benè ſentire? S. Thomas AQuinas doctor angelicus pr. ethic. lect. v. (& meminit Ferrarienſis lib. pr. contra Gentes cap. XXVII) ait: *Epicureos maximè coluiſſe virtutes.* Cicero ſectæ Epicureæ non valdè amicus, imò iniquus, attamen (tanta vis veritatis eſt) non potuit non Epicureos à virtute commendare. Namque lib. 2. de Finibus

bus inquit: *Ac mihi quidem, quod & ipſe bonus vir fuit* (Epicurus) *& multi* Epicurei *fuerunt, & hodiè ſunt, & in amicitijs fideles, & in omni vita conſtantes, & graves, nec voluptate, ſed officio conſilia moderantes: hoc videtur major vis honeſtatis, & minor voluptatis: ita enim vivunt quidam, ut eorum vita refellatur oratio. Atque ut cæteri exiſtimantur dicere meliùs, quàm facere: ſic hi mihi videntur facere meliùs quàm dicere.* Idem lib. 2. Tuſcul. *Venit Epicurus homo minimè malus, vel potiùs vir optimus* Idem loco cit. *Et quæruntur quidem Epicurej viri optimi (nam nullum genus eſt minùs malitioſum) me ſtudioſè dicere contra Epicurũ.* Sed dimittmaus hæc abundè alibi, & ad ſcrupulum, penſuri. Sectam à ſuo nomine condidit Epicurus, de qua Neocles ejus FR. libros compoſuit. In ea perpetua fuit diſcipulorum ſucceſſio, ut cœteris fermè deficientibut ſectis, Laërtij tempeſtate, hoc eſt, tempore Antonini Pij, vel paulò pòſt, una maximè floruerit illa. Nimirùm ſi multitudinem ſectatorum ſpectes, nobilitatem, mutuamque eorum inter ſe conſenſionem, cœteris omnibus

bus quàm longiſſimè præcelluiſſe ſectis fateberis. Euſebius de Præparat. Evangelica cap. 2. lib. XIV. *Epicurei cùm ſapientem putarent Epicurum fuiſſe: multis poſt eum temporibus nihil penitùs aut illi, aut pie alter alteri contrarium dixerunt: ſed impietatis crimine inquinatus videtur, qui novi aliquid dicere audeat, ita magna quædam inter eos concordia eſt* Quos enumeranti Neocles, & Cheredemus, & Ariſtobulus in primis occurrunt ipſius Epicuri fratres, ejuſque Mus nomine ſervus, qui omnes Epicuro hortante, philoſophiæ ſtudio ſe ſe dedidêre. Metrodorus. ſed hoc nomine bini Athenienſis unus Timocratis FR. ut habet Laërtius, qui quod Lampſaci diù commoratus dicitur fortaſſe Straboni Lampſacenus, ſicut & Epicurus ipſe, ut dicebamus, quodammodò eodem teſte Lanpſacenus fuit, diù Lampſaci verſatus, Epicuri ſodalis fuit. A Cicerone lib. 2. de Finibus penè alter appellatur Epicurus, *Ipſe Metrodorus penè alter Epicurus, beatum eſſe deſcribit his ferè verbis: cùm corpus bene conſtitutum ſit, & ſit exploratum ita futurum.* Libro verò V. Tuſcul.

Tuſcul. meminit Timocratis ejus fratris: *Accuſat Timocratem fratrem ſuum Metrodorus, quod dubitet omnia, quæ ad beatam vitam pertineant, ventre metiri: neque id ſemel dicit, ſed ſæpius.* Atque hic Metrodorus ſeptennio ante obijt Epicurum. Porrò alter Metrodorus Stratonicenſis fuit, & ab Epicuro ad Carneadem deſcivit, ut innui ſuprà lib. pr. cap. vi. Fuit & Metrodus Lampſacenus, cujus in Io, vel de Furore poëtico, meminit Plato, ſed hos ætate longè præceſſit, neque de eo hîc ſermo. Inſuper Epicuri auditor fuit

HERMACHVS MITYLENÆVS

Agemarchi F. inſignis ſanè vir qui à Porphyrio laudatur lib. 2. pr. de abſtinentia ab animalibus. Cum Epicuro præceptore in philoſophia conſenuit, eoque humanis exempto, hic magiſterij munus ſuccepit. Ejus auditorem fuiſſe Democritum cùm alij, tum Apollodorus Epicureus in vita Epicuri memoriæ prodit. Sed non videtur Democritum potuiſſe ad Hermachi tempora pertin-

pertingere, ut liquidò conſtat ex ijs, quæ diximus ſuprà lib. v. cap. v. in Democrito. Hermachum audiêre Epicurus Metrodori F. Quarè Epicuri nomine duo, non unus omninò, ut ſenſuit, qui notis Photium illuſtravit. Quamobrem immeritò quidem tantum virum, qui Photius, culpat dicens, quod nimis liberaliter binos nobis exhibeat Epicuros pag. 371. æditionis Rhotomag. Quod ſi alterum ab altero, diſtinguere lubet, Gargettium illum à Pago, in quo natus eſt, dicemus, quò, ut diximus, & Pericles, hunc verò Athenienſem Metrodori F. Timocratis nepotem. Inſuper adhæſêre Hermacho . . . . . . Polyæni F. Epicurum verò Gargettium audiêre Polyænus Athenodori F. Magnus Cicerone auctore lib. 2. Academ. quæſt. mathematicus. *Quid Polyænus, qui magnus mathematicus fuiſſe. dicitur? Is poſteaquam, Epicuro aſſentiens, totam geometriam eſſe falſam credidit num illa etiam, quæ ſciebat, oblitus eſt?* Cujus itē meminit lib. pr. de Finibus. Herodotus, qui de pubertate Epicuri ſcripſit, teſte Laërtio lib. x. cui, & Pytocli, atque

que Mœniceo omnium ejus ſive naturalium, ſive cœleſtium, ſive moralium opinionum epitonen per epiſtolas miſit. Naturalium quidem Herodoto, cœleſtium Pytocli, moralium verò Mœniceo. Hic autem Herodotus, qui de pubertate Epicuri ſcripſit, ejuſque patria neſcitur, alius omninò eſt ab Halicarnaſſæo, quem Plinius lib. XII, cap IV. ait Thurijs in Italia compoſuiſſe hiſtoriam ſuam anno v. c. trecenteſimo decimo, qui alijs trecentiſimus undecimus, nempe circa olympiadem LXXXIII. Gerardus Ioannes Voſſius lib. 3. Hiſtor. Græcor. Halicarnaſſenſem Epicuro penè quinquaginta Olympiadibus juniorem fuiſſe ſcribit; cùm contra Epicuro ſeniorem dicere debuerit, ſiquidem Herodotum hunc ex Halicarnaſſo Epicuro ſeniorem fuiſſe tam clarum eſt quàm ſolem illum lucere. A. Gellius lib. XV: cap. XXIII. ex lib. XI. Pamphilæ de ætatibus hiſtoricorum nobilium, Hellanici, Herodoti, Thucydidis loquens, verba hæc affert: *Hellanicus initio belli Peloponneſiaci fuiſſe quinque, & ſexaginta annos natus videtur, Hero-*

Herodotus tres,& quinquaginta, Thucydides quadraginta. Cùm ergo bellum Peloponneſiacum cœperit an. 4. olymp. LXXXVI. natus eſt Thucydides an. 2. olymp. LXXVI, Herodotus an. pr. olymp. LXXIII, Hellanicus an. pr. olymp. LXX. Epicurus autem multò pòſt, ut diximus ſuprà, in hanc lucem prodijt, hoc eſt, ex Appolodoro an 3. olymp. CIX. obijt an. pr. olymp. CXXVII. Sed ſcriptorum, vel Typographorum ſit error, non Voſſij. Porrò Herodotus Epicureus fortaſſe ille eſt, qui de Nymphis, & Dijs ſcripſit laudatus Stephano, ut loco cit. ſuſpicatur Voſſius. Epicurum item audiêre Sandes, & Leonteus, ejuſque uxor Themiſta, ac filij, Lampſaceni omnes. Meminit Laërtius lib. x. Leontei etiam Strabo lib. XIII, cujus, ut & Idomenij, qui primi erant in civitate Lampſaci, ſcribit Epicurum amicitia uſum. Timocrates Metrodori Athenienſis FR. cui, & Amynomacho Philocratis F. ſibi itidem auditori omnia Epicurus teſtamento reliquit, floruitque extremis Ptolomæj Lagi temporibus, & primis Philadelphi. Colotes Lampſacenus, & Idomenæus, quo familiari-

ter uſus eſt Epicurus. Quippe Batidem uxorem habuit ſororem Sandis Lampſaceni, qui & ipſe, ut diximus, Epicuri diſcipulus. Contra hunc Colotem ſcripſit Plutarchus, qui extat, libellum. Idomenei inter cœteros meminit non uno in loco Plutarchus. Vixit temporibus Ptolomæj Lagi. Porrò Colotem, ut & Idomenæum audivit Menedemus Lãpſacenus teſte lib. VI. Laërtio, qui à præceporibus ad Cynicos deſciuit, ut inibi notavi. Epicurum etiam

POLYSTRATVS....

audivit, Hermacho, qui in Horti magiſterio ſuceſſit. Quo cum vixit Hyppoclides, philoſophi ambo, eodem die nati, ejuſdem præceptoris Epicuri ſectam ſecuti, patrimonij etiam poſſidendi, alendæque ſcholæ communione conjuncti, eodemque temporis momento ultima ſenectute extincti; atque ijſdem verbis Valerius Maximus lib. pr. cap. IX. Polyſtrati meminit etiam Laërtius lib. X. Polyſtrato ſuceſſit

DO..

DIONYSIVS

Cui

BASILIDES

Quorum, ſi nomina demas, cœtera prorſùs intercidêre. Iis recenſitis Epicureorum planè claudicat ſeries; Laërtius enim vel illius oblitus, vel ejus ignarus, vel minimè curans, alium hîc commemorat neminem; quamvis quorundam aliorum habeat ille mentionem. Ii autem duo Alexandrini Ptolomæj Melas, atque Leucus. Demetrius Lacon, cui ex Strabone lib. XIV præceptor Protarchus ex Bargilijs vir planè clarus, & maximè illuſtris. Diogenes Tarſenſis, qui opere quodam complexus fuit quæſtiones poëticas, atque eas ſolvere eſt conatus. Meminit & in Epicuro Laërtius: *Diogenes Tarſenſis, qui ſelectas conſcripſit ſcholas*. Sub emicuit Alexandro Syriæ Rege, interfectus ab Antiocho, qui Alexandro in Syriæ Regnum ſucceſſit. Genus illi à Seleucia Babyloniæ: Tarſenſis autem dictus,

quod

quod Tarſi ſtudij gratia diù commorarit. Orion, & alij, quos germani ſynceriquе Epicurej Sophiſtas appellant. Iis adde, Leontej F. & Themiſtæ, ut & diximus ſuprà. Præterea celebris in hortis emicuit

APOLLODORVS GADARENSIS

Κηποτύραννος vocatus, qui magiſterij munus præclarè geſſit, quamvis ſtata ejus magiſterij ſedes planè ignoretur. Laërtius teſtatur ultra quadringenta eum volumina emiſiſſe. Neque dubium quin idem ſit, quem eo ipſe libro Apollodorum Epicureum appellat, & alibi, & qui de vita ſcripſit Epicuri. Sed maximè fulſit inſignis viri ejus diſcipuli gloria ſecta Epicurea, qui

ZENO SYDONIVS

Acriculus ille ſenex, quem Athenis Cicero frequenter audivit, quemque Academicus Philo Ciceronis præceptor, de quo ſuprà lib. pr. cap. VI. Coryphæum appellare Epicureorum ſolebat. Cicero lib.

lib. pr. de nat. Deor. *Zenonem quem Philo noſter Coryphaum appellare Epicureorum ſolebat; cùm Athenis eſſem, audiebam frequenter, & quidem ipſo auctore Philone, credo, ut faciliùs judicarem, quàm illa benè refellerentur, cùm à principe Epicureorum accepiſſem quemadmodùm dicerentur. Non igitur ille, ut plerique, ſed iſto modo, ut tu, diſtinctè, graviter, ornatè.* Eodem tempore cum Zenone præerat Hortis, &

PHÆDRVS ATHENIENSIS

Vir bonus, ſuavis, & officioſus, atque humaniſſimus, ut Cicero teſtatur, quem & audivit, ut ex lib. pr. de Finibus habemus: *Hîc, niſi mihi Phedrum, inquam, mentitum aut Zenonem putas, quorum utrumque audivi, cùm mihi nihil ſanè præter ſedulitatem, probarent, omnes mihi Epicuri ſententiæ ſatis notæ ſunt. Atque eos, quos nominavi, cum Attico noſtro frequenter audivi; cùm miraretur ille quidem utrúmque, Phædrum autem etiam amaret: quotidiéque inter nos ea quæ audiebamus conferebamus: neque erat unquam controverſia, quid ego intelligerem*

gerem, ſed quid probarem. Quem mortuum anno 3. Olymp. CLXXVII. Patron Epicureus excepit. Quem item audivit Cicero ejuſque induſtriam laudavit lib. pr. de Finibus. Cui Lyſiades F. de quo Cicero v. Philippica : *Lyſiadem Atheniensem plerique novimus : eſt enim Phædrj philoſophi nobilis F. homo præterea feſtivus, &c.* Quibus ex Romana Republica nobiliſſimi auditores fuêre, T. Pomponius Atticus eques Rómanus, cujus vitam Cornelius Nepos fusè enarrat, excellenti ingenio vir, amicuſque Ciceronis, undè Atticus Ciceronis paſſim appellatus. Qui & audivit Antiochum Aſcalonitam veteris Academiæ Sectatórem, quem & familiarem ſuum lib. pr. dè legibus appellat : in jure autem civili Q. Mucium Scævolam. Habuit Pomponius in villa ſua Gymnaſium nòmine Amaltheum, vel Amaltheam, ab Amalthea capra nominatum, cujus quidem meminit Cicero lib. pr. ad Atticum. Aliqui Emathium legunt apud Ciceronem lib. 2. de Legibus, ſed corruptè legi monet Turnebus, Amaltheúmque legendum omnino docet. L.

Sauſeius eques Romanus, cuius pluribus in locis meminit Cicero, Corneliusque Nepos in Pomponij Attici vita. C. Memmius, qui, & neſcio quid in honorem Epicuri ædificare voluit, ut Cicero ſcribit lib. XIII. epiſt. pr. familiarium. T. Lucretius Carus Romano genere Clarus, ſed Epicuri diſciplina longè clarior, atque nobilior, omnium ſui ævi poëtarum graviſſimus, ac judicio Cornelij Nepotis, ac Ciceronis præſtantiſſimus. Meminit ejus Euſebius in Chronico, natumque ſignat Olympiade centeſima ſeptuageſima prima. *Titus Lucretius Poëta naſcitur, qui poſteà amatorio poculo in furorem verſus, cùm aliquot libros per intervalla inſaniæ conſcripſiſſet, quos poſteà Cicero emendavit, propria ſe manu interfecit, anno ætatis* XLIII. Libri autem quos conſcripſerat T. Lucretius VI erant, quibus eleganti poëmate totam Epicuri diſciplinam, quæ ad Phyſicen ſpectant, diligenter expoſuit. Inſuper Zenoni, ac Phædro operam etiam dedêre C. Velleius Senator, qui in dialogo Ciceronis de natura Deorum, Epicureorum partes tuetur. Ad quem

tum

tum Epicuri primas ex Latinis deferebant, quin paucos Epicureos è Græcia æquales habebat, vt ex eodem dialogo clarè habetur. Patro vulgò Epicureus, qui Ciceronem habuit ſuorum defenſorum, & amicorum ferè principem, quo, & vſus videtur ad reconciliandam ſibi gratiam C. Memmij, qui Athenis exul habitabat, ut locum ſibi concederet, Epicurus ubi habitaverat. Lege epiſtolam pr.lib. XIII, vt vocant Familiarium. C. Caſſius clariſſimus Imperator, de quo Cicero lib. XV. epiſt. XVI, in qua, & Catij Inſube meminit Epicurei, qui jam naturæ conceſſerat. XVII, XVIII. Familiar. & alibi. Ex quarum ultima, & Panſam ex hortis haud ægrè agnoſces. Quibus addatur Papirius Pœtus clariſſimus in Republica vir, & Stallio M. Bruti Sodalis, quem Brutus in conſpiratione in Cæſarem cum Favonio Catonis imitatore dimiſit; quod è longinquo inter diſputandum, ac philoſophandum ſermone circuito illius animum expertus erat, ut narrat Plutarchus in M. Bruti vita, Ex hortis ſub hæc tempora erant L. Thorius Balbus La-

nuinus, cujus pluribus meminit Cicero lib.2.de Finibus. Poſtumius, quem ſe ignorare ſcholijs in locum Ciceronis citatum Paullus Manutius fatetur. Chius, C. Sergius Orata de quibus Cicero loco cit. *Quid affers? Cur Thorius Poſthumius, cur Chius, cur omnium magiſter Orata, non jucundiſſimè vixerit? Sergius autem Orata cognominatus eſt*, ut Macrobius ſcribit lib.3. Saturnaliorum, *quod ei piſces, qui aurata vocantur, chariſſimi fuerint. Hic eſt Sergius Orata, qui primus balneas penſiles habuit: primus oſtrearia in Baiano locavit: primus optimum ſaporem oſtreis Lucrinis adjudicavit. Fuit autem ætate Lucij Craſſi illius diſerti, qui quàm gravis, & ſerius habitus ſit, etiam Cicero docet.* Meminit Valerius Max. lib. IX. cap. 1. Plin. lib. IX. cap. 54. à quibus ſuperiora Macrobius deſumpſit Laverna bonorum auctorum. Ejuſdem item C. Sergij Oratæ itidem meminit Cicero lib.3. de offic. L. Manlius Torquatus, qui fuit Conſul anno V. C. 683, propugnator inducitur à Cicerone lib. pr. de Finibus ſententiæ Epicureæ de voluptate; erat enim Torquatus homo doctrina omni

omni eruditus. Et mox eandem amplexi ſunt nobiliſſimi poëtarum. Q. Horatius Flaccus, ut illud urbanè dictum, & ad vulgi ſenſum ſatis declarat epiſt.IV.lib.pr.

Me pinguem & nitidum benè curata cute viſes,
Cùm ridere voles Epicuri de grege porcum.

Pub. Virgilius Maro, qui Athenas proficiſcens, ut Epicuri Philoſophiam perdiſceret, ſic inquit:

Ite hinc inanes Rhetorum manipli; ite hinc.
Nos ad beatos vela mittimus portus:
Magni petentes docta dicta Sironis,
Vitámque ab omni vindicabimus cura.

Recole item quos ſuprà ex Ciri ejuſdem poëmate verſus adduxi, quibus planè ſignificat ſe Epicureæ ſectæ addictum eſſe. Didicit autem Virgilius Epicurea præcepta, ac dogmata quæque à L. Ælio Stylone, cujus doctrinæ ſocium habuit Quintilium varum Virgilij amiciſſimum, ut in ejus vita prodit Ælius Donatus. Eandem ſecutus eſt Sextus Propertius delicium & amor Poëtarum,

ut ex verſibus eius modò allatis, ex lib. 3. ad Cynthiam, propalàm fit. M. Valerius Martialis auctore Marco Zuerio in C. Plinij ſecundi Novocomenſis vita, Martiali, qui amicus, ut ex epiſtola habemus XXI. libri 3. in qua Valerij Martialis laudes exequitur. Ex quo etiam ejus ætatem cognoſcimus. Quamobrem cum Epicurea ratio Ciceroniano ævo omnibus notiſſima eſſet, eamque præſtantiſſimi quippe profiterentur, vt vidimus nuper, meritò quidem iniquiſſimum Epicureæ ſectæ Ciceronem Obertus Gifanius in Prologomenis Lucretij appellat, quod ea, quæ vir ille de animi tranquillitate intelligebat, ad corporis voluptates detorqueret. Sed de hoc ſingulari diſputatione alibi fusè. Interim perfunctoriè audiamus Clariſſimum Imperatorem Caſſium Epicureæ Philoſophiæ ſtudioſum apud Ciceronem lib. XV. epiſtola XIX. Familiar. *Ii*, inquit, *qui à nobis cupidi voluptatis vocantur ſunt cupidi honeſti, & cupidi juſti, omnéſque virtutes, & colunt, & retinent. Non poteſt jucundè niſi honeſtè, & juſtè vivi*, ut ipſius Epicuri verbis ibdem comme-

commemorat Caſſius. Atque ex hoc capite nunc (nam de aliis, quæ Epicuro objiciuntur, uberrimè in Epicuro expenſo, & in libris de humana felicitate ad mentem Epicuri) colligat lector, quàm verè, quàm rectè ſcripſerit Seneca: *mea quidem iſta ſententia eſt, ſancta Epicurum, & recta præcipere.* Sed de his hactenus. Nunc ordinem, quem ſuprà ſervavimus, & cuius penè obliti, repetamus. Dixi *penè obliti*; nam aliquos, qui ad ſequens pertinere poterant caput, in ſuperiori exhibui.

CAPVT II.

Alios Epicureæ ſectæ illuſtres Philoſophos Lectori meo exhibeo, quorum ſtata in ſerie deſideratur ſedes.

PErcurramus nunc, videamus, ſiqui alij in veterum monumentis occurrant Epicureæ ſectæ palantes alumni.

Ariſtion Athenienſis philoſophus Epicureus fuit, tyrannúmque in patria egit,

ut ſcribit Appianus ſub Mithridate, qui cognominabatur Eupator Dionyſius. Quo quidem tyrannum agente Athenę à L. Sulla captæ fuerunt Kal. Mart. A.V.C. 667, ipſeque Ariſtion ab eodem Sulla ſupplicio affectus eſt; ſed non unus in hac claſſe ex Epicuri ſchola Ariſtion. Multò antè Pythagorici, Socratici, Platonici, Peripatetici, imò ipſimet VII. ſapientes. Lege Appianum loco cit. Athenæum lib. XI, cap. XXIII, atque ex his C. Rhodiginum lib. 22. Antiq. lect. cap. XXI.

Demophilus Epicureus philoſophus fuit. Memoratur Plutarcho in vita Phocionis qui ait: eum cum Agnonide Phocionem accuſaſſe; quem urbe profugum Phocionis F. proprio telo eſt ultus.

Philodemus Gadarenſis nobiliſſimo genere ſatus ſectam ſecutus eſt Epicuream, clariuſque in ea Philoſophus fuit. Meminit ejus Aſconius Pædianus, & Strabo, qui lib. XVI. inter illuſtres Gadaræ viros eum commemorat. Vixit Ciceronis ætate & fortaſsè Horatij. Nimirùm Lilius Gregorius Gyraldus eundem

eundem planè eſſe ſuſpicatur, quem nominat Horatius lib.pr.ſerm.ſat.2.

Pompilius Andronicus natione Syrus ſtudio Epicureæ ſectæ Romæ illuſtris emicuit, docuitque tempore M. Antonij Gnifonis, quem Cicero audivit etiam cùm prætura fungeretur, cujus quidem Atteius Philologus Athenienſis diſcipulus fuit, duobuſque claris hiſtoricis Salluſtio, & Aſinio Pollioni familiaris: Attej verò diſcipuli Appius, Pulcher, & Claudij fratres, quorum etiam comes in Provincia fuit.

Phidamus poëta laſcivus ſecta Epicureus fuit, apudque vixit Piſonem, in quem Ciceronis oratio Aſconio Pædiano auctore.

Plato quidam *Sardianus* ſecta Epicureus fuit. Eius ad Q. Fratrem meminit Cicero lib. pr. epiſt. 2. qui ſibi ſynchronos.

L. Ceſtius Smyrnæus rhetor cognomento *Pius*, Epicureæ ſectæ fuit addictus, docuitque Romę Latinè Auguſtæo ævo. Eius auditor fuit Fabianus philoſophus, cujus ſub Tiberio præcipua fama. Et Argentarius, qui nedum Ceſtij

auditor, ſed planè imitator, & ut Voſſius ex Seneca ait de Rhetor. nat. ac conſtit. cap. xii, ſimius. Nimirum M. Annææ Senecæ verba ſunt controv. xxvi. *Fuerat enim Argentarius Ceſtij auditor, & erat imitator. Aiebat invicem: Quid putatis eſſe Ceſtium, niſi Ceſtij cinerem? Et ſic ſolebat jurare; Per manes præceptoris mei Ceſtij, cùm Ceſtius viveret. Omnibus autem inſiſtebat veſtigiis Ceſtij: æque ex tempore dicebat, æque contumelioſè multa interponebat, &c.*

Petronius Arbiter ſecta Epicureus fuit. Floruit ſub Nerone, & ſub eodem defloruit, ab eodem necatus, ut ex Tacito habemus lib. xvi. Annalium. Is Epicurum præclaro ſanè ornavit elogio. Quod quia attuli ſuprà hûc parco referre.

Celſus, contra quem Origenes libros ſcripſit octonos, philoſophus ſecta fuit Epicureus. Is ex variis, quæ ſua tempeſtate emerſerant, hæreſibus, argumentum arripuit inſultandi Chriſtianis de ſua ipſorum diſſenſione, cui reſpondit Origenes libris illis octonis. Et prætereà in eundem ſtyli acumen

ſtrinxêre

ſtrinxêre Iſidorus Peluſiota lib. 2. epiſt. xc, & Lactantius Firmianus lib. 4. cap. ultimo. Georgius Hornius lib. v. Hiſtor. Philoſoph. cap. 4. Celſum hunc philoſophum Stoicum facit. Duo autem Celſi fuerunt, unus Neronis temporibus; alter Adriani, qui in Chriſtianam religionem invectus eſt, ſectaque fuit Epicureus.

Lucianus Samoſatenſis Epicureæ ſectæ, quàm qui maximè addictus fuit, ut vel eius Alexandrum oculis duntaxat non conturbatis percurrenri conſtabit. A quo porrò ſceleratiſſimum illud vitæ hauſerit genus, ipſemet aperit, dicens: in contubernium eum primum acceptum fuiſſe ab amante præſtigiatore ex ijs, qui Magiam, & divinas incantationes profitebantur, illi ſe eum proſtituiſſe, ac mercedis loco maleficij artem reportaſſe: fuiſſe autem doctorem hunc genere Thyaneum, ac è comitibus Apollonij Thyanæi, cujus omnes impoſturas probè callueit. Vixit autem Lucianus M. Antonini Philoſophi ætate, qui eum Ægypti conſtituit Procuratorem, ipſeque eius muneris mentionem facit in Apologia pro iis, qui mer-

S 6

cede conducti ſerviunt, tum ſub Commodo F. Quin antè ſub Trajano, & Adriano, ſi aliquos audias, qui volunt ſub iis pleraque Lucianum ſcripſiſſe. Suidas quidem vixiſſe ait temporibus Trajani Cæſaris, & poſteà. Porrò Luciani elogium ſcripſit Gilbertus Cognatus. Iacobus Zvingerus de vita, & ſcriptis ejus narrationem contexuit Voſſio auctore lib. pr. Hiſtor. Græcor. cap.xv. Sed impietate eius dignum elogium extat apud Suidam. Creditur fuiſſe à Chriſtiana Religione Apoſtata. Res certè noſtras calluiſſe conſtat.

Diogenes Laërtius ſecta fuit Epicureus, ut multi notarunt. Iſaacus Caſaubonus notis ad Laërtium in principio, ubi de Diogene Laërtio. Hornius lib.3. Hiſtor. Philoſoph. cap.xvii, qui propterea vocat Epicurum virum temperantem, pium, bonum, Dei, & amicorum ſtudioſum. Adde in nulla ſecta magis Laërtium induſtriam ſuam probaſſe, quam in Epicurea, ut eius decimum librum de vita, & moribus Philoſophorum legenti propalam fit. Vixit autem Laërtius, vt ſuprà dicebamus, ſub Antonino

nino Pio,vel paulò pòſt. Mitto alios ex hortis celebres viros,qui quod incertæ planè mihi ætatis,ne verbulum quidem de ipſis. Satis quæ mihi in his mens, quod propoſitum, aperui ſuprà. Atque hæc ſunt, quæ de Jonica, & Italica Philoſophia breviter tibi, Lector, dicere, habui. De quibus omnibus hîc cum Horatio lib.pr.epiſt.vII. dico, & edico

—— Si quid noviſti rectius iſtis
Candidus imperti : ſi non , his utere mecum.

FINIS.

INDEX
PHILOSOPHORVM
& Præcipuarum Rerum quæ in hoc opere continentur.

A

ABaris Scytha *Pythagoræ ſecundum aliquos auditor* pag.306. *Scytharum ad Athenienſes legatus. Pythagora, & Solone antiquior. Philoſophus illuſtris. ibidem. Qui eius meminerint.* pag.307.
Ablavius *præfectus pratorij Conſtantini F. machinator necis Sopatri, & cur,* 87.88.
Abron Phryx *diſcipulus Triphonis Platonici, & Stoici.* 80.
Abumaron P[illegible]
Academ[illegible]

Acron Agrigentinus *Empedoclis Comes Athenis in philoſophiæ ſtudiis*, 329. *Empiricæ medicinæ ab experimentis inventor*, 330
Acroamata *Ariſtotelis*, *&* *Theophraſti Athenis ſepulta uſque ad Athenas captas* 145
Adraſtus Aphrodiſienſis *librum ſcripſit de ordine librorum Ariſtotelis* 126
Adrianus *Imperator Athenas ædificiis ornat, & ampliat poſtquàm à L. Sulla capta fuêre*, 151
Ædeſius Cappadox *Iamblichi Chalcidenſis auditor, atque in magiſterij munere ſucceſſor* 88. *generis nobilitate clarus, cenſu exiguo, ibid. Præceptore haud inferior, ſi afflatum divinum excipias, qui Iamblicho peculiaris. Fl. Conſtantino Imperat*[illegible] *emicuit. Pergamum Aſiæ, re*[illegible]*adocia, ſedem ſibi delegit.* [illegible] *i ad ipſum con*[illegible]*bant ibi*[illegible]
Æ[illegible] *um*[illegible] *duos filios* [illegible] *a*[illegible] *Ænobarbi* [illegible] 113
[illegible] *Quintilij* [illegible] 413
[illegible] Q. Ælius

Q. Ælius Tubero *Panatij Rhodij, ac Panſæ auditor*, 223

Æmilius Probus *vitam, & geſta Alcibiadis ſcripſit*, 35

Æneſidemus Gnoſius *Pyrrhonis Elienſis auditor*, 279. *Heraclidis*, 281. *octonos ſcripſit libros Pyrrhoniarum rationum, ibidem.*

Æſchylus Athenienſis *poëta, philoſophus Pythagoricus*. 313. *Quo emicuerit ævo, ibidem. Quid ornamenti tragœdiæ addiderit*, 314

Æſchilus Cnidius *Ciceronis præceptor*, 67

Æſchines Athenienſis *Socratis diſcipulus*, 34. *Qui & Platonem audivit*, 43

Æſchines *Arcadia profectus Socratis alter diſcipulus*, 34

Æſchines Mileſius *Carneadis Cyrenei auditor*, 63

Æſchines Neapolitanus *Melanthij Rhodij diſcipulus Academicus*, 99

Æſopus Tragœdus *vocalis Ciceronis magiſter*, 67

Agapius Athenienſis *Marini Neapolitani diſcipulus*, 96

Agatharchides Cnidius *peripateticus*, 159

159. *Quo emicuerit ævo, à Diodoro Siculo, & Strabone celebratus, ibidem.*

Agatho *Socratis diſcipulus*, 34. *Platonis item, à quo, & valdè amatus*, 44, 45. *in eius laudem carmina ibid. Sectam ſecutus eſt* Pythagoricam, 45. *Archelao Regi familiariſſimus*, 314. *Quorum coævus. Quid Archelao Regi, de ejus ætate interrogatus reſponderit, ibidem.*

Agatias Stymphalius *Xenophonti amicus*, 33

Ageſilaus Lacedemoniorum Rex *Xenophontis Athenienſis auditor*, 33

Albertus *cognomento* Magnus *natione Germanus nulli ſuo ævo in philoſophia ſecundus*, 175. *in eius laudes doctiſſimus Scaliger. Cur Magnus, & divinus apellatus. Maximi cognomentum deferebant Gymnaſia, niſi Chriſtiana verecundia ipſe reſtitiſſet, ibidem. Eius ætas. Vita à quo potiſſimum ſcripta. Prima ab eo Scholaſticorum ſecta, quæ Albertiſtarum, ibidem. Docendo, & ſcribendo Ariſtotelis philoſophiam uſque ad ſydera evexit*, 155

Alcibiades Athenienſis *Socratis diſcipulus*, 35. *omnium mortalium formoſiſſimus.*

mus. Ingenio flexibilis. Ante Socratem Antiphontem audiit, & Sopylum eius Patrem, 35. 36. *Quos ſtudiorum ſuorum habuerit comites* 36, *Patriæ hoſtis ibidem.*
Alchindus *epitomen fecit diſcipulorum Platonis,* 42
Alcidamas Eleata *Georgiæ Leontini diſcipulus,* 334
Alcimus *orator Stilponis Megarenſis auditor,* 271
Alcinous *philoſophus Platonicus,* 122. *incertæ ætatis, ibidem.*
Alcmeo Crotoniata *Pythagoræ auditor,* 300. *primus phyſica ſcripſit. Animam dixit immortalem. Ætatem vnà cum Pythagora egit, ibidem.*
Alexinus Elienſis *Eubilidis Mileſij diſcipulus ,* 273. *Infeſtus Zenoni. Ab eo ſecta Olympica, ibidem.*
Alexander Aphrodiſæus *inſignis peripateticus Soſigenis Ægiptij diſcipulus* 162 *Primus omnium Ariſtotelem commentariis illuſtravit, ibid. Peculiarem quaſi condidit ſectam , cuius ſequaces Alexandræi, ibid. Ex omnibus Ariſtotelis interpretibus Alexander maximè legendus,*

dus, & eur, ibidem. Quo floruerit ævo, 163. *Paulùm præceſſit Origenem, & Plotinum, ibidem. Stoicos appellat recentiores,* 202

Alexander Alenſis *D. Thomæ Aquinatis præceptor*, 176. *Quo anno terris exceſſerit, ibidem.*

Alexander Macedoniæ Rex *cognomento* Magnus *Ariſtotelis Stagyritæ diſcipulus,* 129. *Quandonàm in hanc lucem prodierit, ibid. Optimis philoſophiæ præceptis ab Ariſtotele inſtitutus, ibid. Quantum tribuerit Ariſtoteli præceptori ibidem. Quid patri Philippo reſponderit hortanti; vt in Olympijs ſtadium curreret,* 182

Alexander Totus Brixianus *commendatur,* 77. *Locò ab Epiphanio ſcohlaſtico Latinitate donato multa deeſſe ait, déque Ammonio in græco volumine ſecùs haberi, ibidem.*

Alexander *M. Craſſi præceptor ſecta peripateticus,* 161. *Plutarcho commendatur, ibidem.*

Alexander Cornelius *cognomento* Polyhiſtor *commentaria Pythagorica ſcripſit, ſive de ſymbolis Pythagoricis, ſive,*

ut alij, de Pythagoricis, 296

Alpharabius Arabs *Aſtrologiæ peritiſſimus* 172. *Quadragies Ariſtotelis libros de phyſico auditu legit, ibid. Quid ſuperſcripſerit, ibidem.*

Amelius Tuſcus, & Aquilinus *condiſcipuli Origenis ſub diſciplina Plotini,* 76, 77. & 82.

Amenias *Philoſophus Pythagoricus Parmenidis doctor,* 361

Amphiclia *Ariſtonis F. Iamblichi uxor, Plotini diſcipula,* 83

Amyclas *Philolai Crotoniatæ Pythagorici auditor,* 303. *Eum Xenophon adamavit. Prohibuit Platonem Democriti commentaria comburere, ibidem.*

Amycles Heracleoees *Platonis, & Iſocratis, ac Leodamantis ſecundùm Cæcilium auditor,* 43

Amynomachus *Philocratis F. Epicuri Gargettij auditor,* 404. *Ei, & Timocrati Metrodori Athenienſis FR. omnia Epicurus teſtamento reliquit, ibid. Quo floruerit æuo, ibidem.*

Ammonius Alexandrinus *cognomento Saccas demortuam excitavit Academiam,* 75. *Eam inſtituit, quæ* Ægi-

Ægiptiæ ſortita eſt nomen. Vir fuit divinus divo initúſque edoctus, ibidem. Platonem, & Ariſtotelem demonſtravit concordes 76. *Quo tempore floruerit, ibidem. Non fuit diſcipulus Origenis, ſed eius librorum, & Didymi enarrator,* 77

Ammonius Alexandrinus minor *Hermiæ F. diſcipulus Procli Lycii & Syriani Alexandrini*, 93. *Quando floruerit,* 94. *Platonis doctrinam ita eſt amplexus ut Ariſtotelem ſejunxerit minimè.* 94. *In Perſiam ivit, ut Choſroem Perſarum Regem præclarum Platonicæ ſectæ philoſophum videret*, 110. *Alios Platonica, alios Ariſtotelica docebat*, 94. *Ammonij tres,* 93, 94

Anacharſis Scytha *ſcepticæ philoſophiæ doctor,* 277

Anaſtaſius *fabuloſa de Apollonio Tyanæo Philoſtrati detexit,* 321

Anaxarchus Abderites *Metrodori Chij auditor*, 381. *à Cyprio tyranno Nicocreonte excarnificatus, ibid. Quo vixerit ævo, ibid. Phædonem Elienſem ſecutus eſt, ibid. ac Diogenem Smyrnæum audivit, ibidem.*

Anaxilaus

cede conducti ſerviunt, tum ſub Commodo F. Quin antè ſub Trajano, & Adriano, ſi aliquos audias, qui volunt ſub iis pleraque Lucianum ſcripſiſſe. Suidas quidem vixiſſe ait temporibus Trajani Cæſaris, & poſteà. Porrò Luciani elogium ſcripſit Gilbertus Cognatus. Iacobus Zvingerus de vita, & ſcriptis ejus narrationem contexuit Voſſio auctore lib. pr. Hiſtor. Græcor. cap.xv. Sed impietate eius dignum elogium extat apud Suidam. Creditur fuiſſe à Chriſtiana Religione Apoſtata. Res certè noſtras calluiſſe conſtat.

Diogenes Laërtius ſecta fuit Epicureus,ut multi notarunt. Iſaacus Caſaubonus notis ad Laërtium in principio, ubi de Diogene Laërtio. Hornius lib.3. Hiſtor. Philoſoph. cap.xvii, qui proptereà vocat Epicurum virum temperantem, pium, bonum, Dei, & amicorum ſtudioſum. Adde in nulla ſecta magis Laërtium induſtriam ſuam probaſſe,quam in Epicurea, ut eius decimum librum de vita, & moribus Philoſophorum legenti propalam fit. Vixit autem Laërtius, vt ſuprà dicebamus, ſub Antonino

nino Pio,vel pauló pòſt. M tto a ios ex hortis celebres viros,qui quod incer æ planè mihi ætatis,ne verbulum quidem de ipſis. Satis quæ mihi in his mens, quod propoſitum, aperui ſuprà. Atque hæc ſunt, quæ de Jonica, & Italica Philoſophia breviter tibi, Lector, dicere, habui. De quibus omnibus hîc cum Horatio lib.pr.epiſt.vii. dico, & edico

—— Si quid noviſti rectius iſtis
Candidus imperti : ſi non, his utere mecum.

FINIS.

INDEX PHILOSOPHORVM

& Præcipuarum Rerum quæ in hoc opere continentur.

A

Abaris Scytha *Pythagoræ ſecundum aliquos auditor* pag.306. *Scytharum ad Athenienſes legatus. Pythagora, & Solone antiquior. Philoſophus illuſtris. ibidem. Qui eius meminerint.* pag.307.
Ablavius *præfectus pratorij Conſtantini F. machinator necis Sopatri,& cur,* 87,88.
Abron Phryx *diſcipulus Triphonis Platonici, & Stoici.* 80.
Abumaron Babylonius, 172.
Academia *interrupta ſilet annos circiter* CCLXX. 75. *Locus amœnus*, 41. *Adusque Suidæ tempora durabat. Qui fructus ex eo quotannis colligeretur ibidem.*

Acron

Acron Agrigentinus *Empedoclis Comes Athenis in philoſophiæ ſtudiis*, 329. *Empiricæ medicinæ ab experimentis inventor*, 330

Acroamata *Ariſtotelis*, *& Theophraſti Athenis ſepulta uſque ad Athenas captas* 145

Adraſtus Aphrodiſienſis *librum ſcripſit de ordine librorum Ariſtotelis* 126

Adrianus *Imperator Athenas ædificiis ornat, & ampliat poſtquàm à L. Sulla capta fuêre*, 151

Ædeſius Cappadox *Iamblichi Chalcidenſis auditor, atque in magiſterij munere ſucceſſor* 88. *generis nobilitate clarus, cenſu exiguo, ibid. Præceptore haud inferior, ſi afflatum divinum excipias, qui Iamblicho peculiaris. Fl. Conſtantino Imperatore emicuit. Pergamum Aſiæ, relicta Cappadocia, ſedem ſibi delegit. Græci finitimi ad ipſum confluebant ibidem.*

Ægidius Columna Romanus *duos filios Averrois in aula Friderici Ænobarbi ſe vidiſſe ſcribit*, 113

L. Ælius Stylo *Secta Epicurius Quintilij Vari & Virgilij magiſter* 413

Q. Ælius

Q. Ælius Tubero *Panatij Rhodij, ac Panſæ auditor,* 223

Æmilius Probus *vitam, & geſta Alcibiadis ſcripſit,* 35

Æneſidemus Gnoſius *Pyrrhonis Elienſis auditor, 279. Heraclidis, 281. octonos ſcripſit libros Pyrrhoniarum rationum, ibidem.*

Æſchylus Athenienſis *poëta, philoſophus Pythagoricus.* 313. *Quo emicuerit ævo, ibidem. Quid ornamenti tragœdiæ addiderit,* 314

Æſchilus Cnidius *Ciceronis præceptor,* 67

Æſchines Athenienſis *Socratis diſcipulus,* 34. *Qui & Platonem audivit,* 43

Æſchines *Arcadia profectus Socratis alter diſcipulus,* 34

Æſchines Mileſius *Carneadis Cyrenei auditor,* 63

Æſchines Neapolitanus *Melanthij Rhodij diſcipulus Academicus,* 99

Æſopus Tragœdus *vocalis Ciceronis magiſter,* 67

Agapius Athenienſis *Marini Neapolitani diſcipulus,* 96

Agatharchides Cnidius *peripateticus,* 159

159. *Quo emicuerit ævo, à Diodoro Siculo, & Strabone celebratus, ibidem.*

Agatho *Socratis diſcipulus*, 34. *Platonis item, à quo, & valdè amatus*, 44, 45. *in eius laudem carmina ibid. Sectam ſecutus eſt* Pythagoricam, 45. *Archelao Regi familiariſſimus*, 314. *Quorum coævus. Quid Archelao Regi, de ejus ætate interrogatus reſponderit, ibidem.*

Agatias Stymphalius *Xenophonti amicus*, 33

Ageſilaus Lacedemoniorum Rex *Xenophontis Athenienſis auditor*, 33

Albertus *cognomento* Magnus *natione Germanus nulli ſuo ævo in philoſophia ſecundus*, 175. *in eius laudes doctiſſimus Scaliger. Cur Magnus, & divinus apellatus. Maximi cognomentum deferebant Gymnaſia, niſi Chriſtiana verecundia ipſe reſtitiſſet, ibidem. Eius ætas. Vita à quo potiſſimum ſcripta. Prima ab eo Scholaſticorum ſecta, quæ Albertiſtarum, ibidem. Docendo, & ſcribendo Ariſtotelis philoſophiam uſque ad ſydera evexit*, 155

Alcibiades Athenienſis *Socratis diſcipulus*, 35. *omnium mortalium formoſiſſimus.*

mus. Ingenio flexibilis. Ante Socratem Antiphontem audiit, & Sopylum eius Patrem, 35. 36. Quos ſtudiorum ſuorum habuerit comites 36, Patriæ hoſtis ibidem.

Alchindus *epitomen fecit diſcipulorum Platonis,* 42

Alcidamas Eleata *Georgiæ Leontini diſcipulus,* 334

Alcimus *orator Stilponis Megarenſis auditor,* 271

Alcinous *philoſophus Platonicus,* 122. *incertæ ætatis, ibidem.*

Alcmeo Crotoniata *Pythagoræ auditor,* 300. *primus phyſica ſcripſit. Animam dixit immortalem. Ætatem vnà cum Pythagora egit, ibidem.*

Alexinus Elienſis *Eubilidis Mileſij diſcipulus,* 273. *Infeſtus Zenoni. Ab eo ſecta Olympica, ibidem.*

Alexander Aphrodiſæus *inſignis peripateticus Soſigenis Ægiptij diſcipulus* 162 *Primus omnium Ariſtotelem commentariis illuſtravit, ibid. Peculiarem quaſi condidit ſectam, cuius ſequaces Alexandrai, ibid. Ex omnibus Ariſtotelis interpretibus Alexander maximè legendus,*

dus, & eur, ibidem. Quo floruerit ævo, 163. *Paulùm præceſſit Origenem, & Plotinum, ibidem. Stoicos appellat recentiores,* 202

Alexander Alenſis *D.* T*homæ Aquinatis præceptor*, 176. *Quo anno terris exceſſerit, ibidem.*

Alexander Macedoniæ Rex *cognomento* Magnus *Ariſtotelis Stagyritæ diſcipulus,* 129. *Quandonàm in hanc lucem prodierit, ibid. Optimis philoſophiæ præceptis ab Ariſtotele inſtitutus, ibid. Quantum tribuerit Ariſtoteli præceptori ibidem. Quid patri Philippo reſponderit hortanti, ut in Olympijs ſtadium curreret,* 182

Alexander Totus Brixianus *commendatur,* 77. *Locó ab Epiphanio ſcohlaſtico Latinitate donato multa deeſſe ait, déque Ammonio in græco volumine ſecùs haberi, ibidem.*

Alexander *M.* C*raſſi præceptor ſecta peripateticus,* 161. *Plutarcho commendatur, ibidem.*

Alexander Cornelius *cognomento* Polyhiſtor *commentaria Pythagorica ſcripſit, ſive de ſymbolis Pythagoricis, ſive,*

ut alij, de Pythagoricis, 296

Alpharabius Arabs *Aſtrologiæ peritiſſimus* 172. *Quadragies Ariſtotelis libros de phyſico auditu legit, ibid. Quid ſuperſcripſerit, ibidem.*

Amelius Tuſcus, & Aquilinus *condiſcipuli Origenis ſub diſciplina* Plotini, 76, 77. & 82.

Amenias *Philoſophus Pythagoricus Parmenidis doctor,* 361

Amphiclia *Ariſtonis F. Iamblichi uxor, Plotini diſcipula,* 83

Amyclas *Philolai Crotoniatæ Pythagorici auditor,* 303. *Eum Xenophon adamavit. Prohibuit Platonem Democriti commentaria comburere, ibidem.*

Amycles Heracleoees *Platonis, & Iſocratis, ac Leodamantis ſecundum Cæcilium auditor,* 43

Amynomachus *Philocratis F. Epicuri Gargettij auditor,* 404. *Ei, & Timocrati Metrodori Athenienſis FR. omnia Epicurus teſtamento reliquit, ibid. Quo floruerit æuo, ibidem.*

Ammonius Alexandrinus *cognomento Saccas demortuam excitavit Academiam,* 75. *Eam inſtituit, quæ Ægi-*

Ægiptiæ ſortita eſt nomen. Vir fuit divinus divo initúſque edoctus, *ibidem. Platonem,& Ariſtotelem demonſtravit concordes* 76. *Quo tempore floruerit, ibidem. Non fuit diſcipulus Origenis, ſed eius librorum, & Didymi enarrator,* 77

Ammonius Alexandrinus minor *Hermiæ F. diſcipulus Procli Lycii & Syriani Alexandrini*, 93. *Quando floruerit,* 94. *Platonis doctrinam ita eſt amplexus ut Ariſtotelem ſejunxerit minimè.* 94. *In Perſiam ivit, ut Choſroem Perſarum Regem præclarum Platonicæ ſectæ philoſophum videret*, 110. *Alios Platonica, alios Ariſtotelica docebat*, 94. *Ammonij tres,* 93, 94

Anacharſis Scytha *ſceptica philoſophiæ doctor,* 277

Anaſtaſius *fabuloſa de Apollonio Thyanæo Philoſtrati detexit,* 321

Anaxarchus Abderites *Metrodori Chij auditor*, 381. *à Cyprio tyranno Nicocreonte excarnificatus*, *ibid. Quo vixerit ævo, ibid. Phædonem Elienſem ſecutus eſt, ibid. ac Diogenem Smyrnæum audivit, ibidem.*

Anaxilaus

Anaxilaus Laryſſæus *philoſophus Pythagoricus*, 317. *Quod Magus Vrbe ab Auguſto pellitur, ibidem.*

Anaxagoras Clazomenius *Anaximenis Mileſii auditor*, 18. *mens appellatus. Quo floruerit, & obierit ævo, ibidem.*

Anaxagoras *orator Socratis auditor*, 35

Anaxagoras *quidam Iſocratis Athenienſis auditor*, 348

Anaximander Mileſius *Ionicæ philoſophiæ ſecundùm aliquos nomen dedit, non Thales*, 14. *Thaletis auditor, atque ſucceſſor*, 16

Anaximander Mileſius *hiſtoricus prioris philoſophi F, eiúſque auditor*, 16. *Æqualis Xenophonti, & Cteſiæ, ibidem.*

Anaximenes Mileſius *Anaximandri auditor, atque ſucceſſor*, 17, *audivit, & Parmenidem, ibidem.*

Anaximenes Lampſacenus *ſenior Ariſtoclis F. orator Diogenis Synopenſis auditor*, 192. *alius à iuniori, qui Alexandri M. geſta conſcripſit oratoris ex ſorore nepos, ibidem.*

Anchipylus *Phædonis Elienſis auditor*. 264

Androcydes *de Pythagoricis ſcripſit*, 296

Androcleus *Porphyrij auditor*, 85

Andron

Andron *Androtionis F. Hippiæ Elienſis auditor*, 379

Androſthenes Æginenſis, *ſeu Aſtypaleenſis Oneſicriti F. Fr. Philiſci , Diogenis Sinopæi ſectator*, 191

Andronicus Rhodius *undecimus ab Ariſtotele magiſterij munus obivit*, 144. *de Ariſtotelis ſcriptis, déque tota poſteritate optimè meritus, & quomodò, ibidem. Cum Tyrannione grammatico magna copia libros vulgavit*, 145

Angelus Politianus *clarorum virorum de Cicerone teſtimonia habet*, 70. *Simplicium tradit Philopponi condiſcipulum ſub diſciplina* Ammonij *Alexandrini minoris*, 96. *Ioannis* Argyropyli *Politianus auditor*, 116

Annæus Cornutus Leptices *ſecta Stoicus*, 234. A. *Perſium, & Lucanum poëtas docuit. A Nerone in exilium mittitur*, 235

L. Anneus Seneca Cordubenſis *philoſophus Stoicus*, 236. *puer cum Gallio FR. Romam ductus, ibid.* Eloquentiam *à Patre didicit M.* Anneo *Seneca , ibid. Audivit Florum auditorem M. Porcij Latronis Hiſpani, ibidem. In philoſophia Sotione* Alexandrino *uſus eſt præceptore*

ceptore ibid. Attalo *Stoico, Papirio Fabiano auditore L.Ceſtij Pij Epicurei, &* Arellij *Fuſci* 137.*Quid de eo Lactantius, ibid Patruus Lucani poëtæ docuit Neronem,ibid.Cujus juſſu inciſione venarum, & veneni periit hauſtu, ibid. De eius virtutibus variè ab antiquis iudicatum,* 238. *An à Paulo ad Chriſtum converſus, vel ab eo ſaltem tam ſublimem hauſerit ſapientiam ,ibidem.*

Anniceris Cyrenenſis *Parabatis Cyrenai diſcipulus,* 261. *Aliam à præceptore inſtituit ſectam,quam* Anniceriam *appellavit, ibid. Cyrenaicam ex Strabone emendavit,ibidem. Platonem apud Æginam captum, ac venditum redemit,* Athenáſ*que ad amicos remiſit,* 263

Antiphanes *de Pythagoricis ſcripſit,* 296

Antimius Mendeus *Protagoræ auditor,* 377

Antiochus Aſcalonita *Philonis auditor, veteriſque* Academiæ *novator ac patronus.* 70,71. *Contra* Academicos *ſcientiam negantes acerrimè diſputabat ,* 71. *ſcripſit acutiſſimè de* Academia 72. *paulò anteceſſit Strabonem, ibidem.*

Antiochus Laodicenus *ex Lyco Zeuſis dicti*

dicti Gonopis auditor, 281

Antigonus Primus Macedoniæ Rex *Euphanti Olynthij auditor, 272. Zenonis Cyttiai, atque Cleanthis,* 214

Antigonus Caryſtius *quandonam vixerit,* 278. *Quorum maximè philoſophorum vitas elucubrarit, ibid. & 279. Libros ſcripſit de Zenone Cyttiao,* 204

Antigonus Demetrij Poliorcetæ *F. Arati Cilicis poëtæ auditor,* 266. *apud quem Aratus ad extremum vſque in honore vixit,* 267

Antipater Iolai, , *ſive Iuli F. Ariſtotelis diſcipulus,* 133. *rei militaris gnarus. Quædam literis tradidit, ibidem.*

Antipater Cyrenæus *Ariſtippi Cyrenenſis auditor,* 254, *Ludum & ipſe habuit, ac ſucceſſores,* 256

Antipater Tarſenſis *Diogenis Babylonij diſcipulus, atque ſucceſſor,* 218

Antipater Tyrius *philoſophus Stoicus,* 232 *Ciceroniano floruit, & obijt ævo. M. Catonis Vticenſis magiſter, ibidem.*

Antiſtenes Athenienſis, *à quo Cynici primùm, deinde Stoici initium ſumpſère,* 186. *homo acutus magis, quàm eruditus. Gorgiam Leontinum audiit primùm,*

mum, deinde Socratem, inter cujus auditores nobiliſſimus, 185,186. *ſuaviſſimus in colloquio* 190. *continentiſſimus ibid. Plures in eo virtutum exempla, quibus ad ſeſectandum auditores allexit. Diogeni Sinopæo tranquillitatis, Crati continentiæ, Zenoni Cyttiæo tolerantiæ dux fuit, ibidem.*

Antiſthenes *alius à ſuperiori Socratico è ſecta Heracliti*, 360

Antonius Pius Imperator *nonniſi quatuor ſectas permiſit, Platonicam, Peripateticam, Epicuream & Stoicam*, 318

M. Antoninus Verus *cognomento* Philoſophus *Stoica Philoſophia callentiſſimus*, 246. *audivit Apollonium Chalcidenſem, Sextum Charonenſem Plutarchi Bœotij nepotem, Claudium Maximum, & Cinnam Catulum, Iunium Rusticum ſtoicos omnes. Cum Iunio Ruſtico omnia communicavit publica privatáque conſilia. Oſculum ante præfectos prætorio dedit. Conſulem iterum deſignavit, & poſt obitum à Senatu ſtatuas poſtulavit. Item audivit Commodum Chalcidicum, & Baſilidem Syropolitanum, ibidem*, & 247.

Antonius

Antonius Flaminius *Alberti Magni vitam luculenter ſcripſit,* 14

M. Anton. Gnifo *Ciceronis magiſter,* 67

Antonius Rhodus Romanus *cum quo Porphyrius Romam venit ſub diſciplina Plotini,* 84

Antonius *tertius è tribus, quos omnino à Soſipatra habuit, liberis Euſtathius Ædeſij diſcipulus,* 89. *ſedem apud Canobium Nili oſtium obtinuit, ibidem.*

Aphtonius *Thucididis, vitam elucubravit,* 20

Apellicon Tejus *magna emit mercede Ariſtotelis libros,*138. *ſitu maculatos pro arbitrio ſupplet, & emendat, ſeu potiùs erroribus temerat, ibidem.*

Appius *Attei Philoſophi diſcipulus,* 417

Apollodorea *ſecta Theodoreæ oppoſita,* 255

Apollodorus Athenienſis *grammaticus Ariſtarchi Samij diſcipulus,* 207. *ſcripſit de Philoſophorum ſectis, eorúmque dogmata collegit. In philoſophia Panætium Rhodium audivit, ibidem,*

Apollodorus Gadarenſis *cognomento* Κηποτύραννος *philoſophus Epicureus,* 407. *magiſterij munus in hortis obivit, ibid.*

Quot ſcripſerit volumina, *ibid. Idem qui de vita ſcripſit Epicuri*, *ibidem.*

Apollonius Alabadenſis *cognomento* Molo *Ciceronis præceptor*, *clariſſimus dicendi magiſter*, 67

Apollonius Chalcidenſis *in Stoicis præclarus*, 246. *docuit M. Antoninum Verum cognomento Philoſophum*, *ibidem.*

Apollonius Cyreneus *cognomento* Cronus *Eubulidis Mileſij auditor*, 273

Apollonius Thyanæus *philoſophus Pythagoricus*, 319. *diſcipulus Euthydemi Tarſenſis*, *& Euxeni ex Heraclea*, *ibid. Qui ejus vitam literis commendarint*, *ibid.* 320. *Quo floruerit ævo*, *ibidem.*

Apollonius Tyrius *librorum*, *ac philoſophorum à Zenone Cyttiæo profectorum tabulas edidit*, 204

Apollonius Nyſæus *Panætij Rhodij auditor*, *ac familiaris*, 223

Apollonij *&* Apollodori *plures*, 223

Apollonius Malacus *&* Molo Alabandenſes, *cur Rhodij appellati*, 224. *Meneclis Alabandenſis oratoris diſcipuli*, *ibidem.*

Apollonides *philoſophus Stoicus*, 233. *Vtica Cato antequam gladio ſe transfixerit*

cum

cum eo de philoſophia Stoica diſputationem habuit, ibidem.

Aporetici *Pyrrhonis Elienſis ſequaces*, 277. *cur ſic appellati*, *ibidem.*

Appianus Alexandrinus *hiſtoricus quando vixerit*, *& quorum coævus*, 101, 102.

L. Apuleius Madaurenſis *philoſophus ſecta Platonicus*, 101. *Quorum vixerit coævus, & quo tempore Athenis philoſophiæ operam dederit.ibid.&* 102. *Vaſtius eius magiſter.Carthagine profeſſus eſt, ubi,& & ſtatua ei poſita. Magiæ deditus cuius cauſſa & accuſatus ibid. Eius & Laërtij diſſenſio.* 38. *Peripateticos ratione Stoicorum veteres vocat*, 202. *Thaletis Mileſij inventa recenſet*, 15

Aqua *de noſtris fontibus potanda*, 180. *Qui verborum ex Origene ſenſus,ibid. &* 181.

Aquila *Nicetis FR. Pyrrhoniorum ſectator*, 282

C. Aquilius Gallus *Panætij Rhodij auditor*, 222

Arabes Philoſophi *inſigniores qui*, 172. *Medici item*, *ibidem*. *Aſtrologi*, *ibid. Quamlibet docti Græcis*, *& Latinis inferiores*, 173. *ſummam Theologiæ S.Thomæ*

Aquinatis in ſuum verterunt ſermonem, 176

Aratus Cilix *diſcipulus Menecratis Niſæi in Grammatica*, 208. *in philoſophia Timonis Phliaſij, Eretriique Menedemi, ibid. & 266. Quo vixerit ævo, ibidem & 356. Quid de Arato Cicero ſcribat,* 267

Arceſilas Pitaneus *diſcipulus Polemonis Athenienſis*, 51. *inter eum, & Zenonem Cyttiæum pugna, ibidem, &* 55. *junior audivit Autolycum mathematicum, & Hipponicum Geometram,* 53. *Xanthum muſicum Athenienſem, Theophraſtum, & Crantorem Solenſem, ibid. Mediæ Academiæ inventor ibidem. Ignorantiæ magiſter. An ejuſmodi philoſophia ſectam conſtituere dici poſſit,* 54. *Arceſilæ motiva, ut rerum ſcientiam negaret ibid. Arceſila auctoreduo philoſophiæ genera eſſe cœperunt ibid. Certam habuit de veritate ſententiam quamvis in opertum proferre noluerit, ibid. Rectè fecit & Lactantio probatur* 55. *Non diſtinxit notitiam veri à notitia veritatis, neque ſynceram à phantaſtica, ibidem. ejus mors,* 56

Archagoras

Archagoras Theodoti F. *Protagoræ Abderitæ auditor*, 379

Archedemus *philoſophus ſecta Stoicus*, 219. *Patria Athenienſis Plutarcho*, 220. *Babyloni plures habuit ſcholas, ibidem.*

Aretes Ariſtippi Cyrenenſis F. *& diſcipula*, 254. *Patri in magiſterij munere ſucceſſit, ibidem.*

Archanolus Piccionius Venetus *Henricum Gandavenſem Alberti Magni auditorem facit, ſed nullius ſuffultus, idoneo teſte, ut fabulator reijcitur* 178

Archelaus Athenienſis *Anaxagoræ diſcipulus*, 25. 26. *Quo tempore floruerit*, 26. *&* 355. *dictus phyſicus, & cur*, 26. *Socratis magiſter, ibidem.*

Archelaus *alius à ſuperiori Socratis magiſtro, Xenophanis Colophonij præceptor*, 355. *contra Homerum, & Heſiodum elegias ſcripſit, & Iambos, ibidem.*

Archelaus *ſummus* Panætij *Rhodij ævo Aſtrologus*, 224

Archyas *dictus* Pygodoteras *actor tragœdiarum familiaris Anaximenis Mileſij*, 17. *diſcipulus Lacriti rhetoris ſecundùm Hermippum*, 17, 18, *Princeps Satellitum*

Hyperidem oratorem, Ariſtonicum Maratonium, & Himeraum, ac Demoſthenem cepit, 18

Archyppus *philoſophus* Pythagoricus *Thebis in Gracia habuit ſcholas,* 302. *ingenio utebatur pro libris, ibidem.*

Archytas Tarentinus *Pythagora auditor* 297. *Platonem adverſus Dionyſij inſidias incolumem praſtitit. Tarenti princeps commendatur; Ejus Plato in Geometria auditor, ibidem. Ligneam columbam volatilem fecit,* 298. *Ejus contra voluptatem apud Ciceronem nobile fragmentum, ibidem.*

Argentarius *L. Ceſtij Smyrnaj Epicurei diſcipulus, & imitator, ſive potius ſimius,* 418, 419

Arrianus Nicomedienſis *Epicteti auditor ſecta Stoicus,* 244. *Praceptoris diſſertationes exaravit, ibidem. ſub quo emicuerit* Principe. *Nedum philoſophus fuit, verùm hiſtoricus; an verò Iuriſconſultus, ibidem. Cereris Sacerdos fuit, atque Proſerpina, ibidem.*

Arrianus Iuriſconſultus *alius ab Arriano Epicteti diſcipulo,* 244

Arignates *Pythagora* F. *& auditrix,* 309

Ariſteas

Ariſteas Proconneſius *Homeri ſecundùm aliquos magiſter*, 287. *eo Homerus ſæculo toto grandior*, *ibidem*

Ariſtagoras Cnidius *Pythagoricus Patrem audivit Chryſippum*, 299

Ariſtarchus Samius *Ariſtophanis Byzantij diſcipulus*, 206 *Alexandrinum qui faciant*, *ibid. Quo vixerit ævo. Ptolomæum docuit Evergetem*, *ibidem.*

Ariſtippus Cyrenenſis *Socratis diſcipulus*, 250. *voluptatem corpoream poſuit ſummum bonum, malè audijt*, 251. *Eadem ſententia Epicuro tribuitur, ſed perperam, ibidem. ſectam condidit Cyrenaicam. Sequentes alij Cyrenaici, alij Hegeſiaci, alij Anniceriј, alij dicti ſunt Theodorij. ibid. Quo floruerit ævo, ibid. Fortuna præſenti utebatur. Ingenij fuit feſtivi, atque adeò Principibus charus, præcipuè Dionyſio. Ioci aliquot ejus*, 252. *accommodat ſe loco, tempori, & perſonæ*, 253. *canis Regius appellatus, nimis delicatus. Rhodi potiſſimùm docuit, ibidem.*

Ariſtippus *Aretes F. matris auditor, atque ſucceſſor*, 254. *metrodidactus appellatus, &*

cur ibidem.

Ariſtion Athenienſis *ſecta Epicureus*, 415. *Tyrannum egit in patria*, 416. *Sub eo à L. Sulla capta* Athenæ. *Supplicio affectus, ibidem.*

Ariſto Alexandrinus *peripateticus*, 159

Ariſtn Ceus *Lyconis Troadenſis diſcipulus, atque ſucceſſor*, 142. *Cur dictus* Ceus *quamvis Iuletes, ibid. Bionis Boryſthenitæ imitator, ibidem.*

Ariſto Chius *Zenonis Cyttiæi diſcipulus*, 202. *Polemonis* Athenienſis, 204. *Præceptoris decretis non ſtetit, ſed aliam inſtituit ſectam, quam Ariſtoniam appellavit* Ariſtonij *dicti ſunt ſequaces, ibidem.*

Ariſtobulus *Epicuri Gargettij FR. & auditor*, 400

Ariſtobulus Iudæus *philoſophus peripateticus*, 158. *diſcipulus* Agathobuli, *magiſter Ptolomæi Philometoris, ibidem.*

Ariſtocles Meſſenius *Peripateticus*, 161. *Quædam ex eo narrat Theodoretus, ibidem.*

Ariſtocles Pergamenus *Herodis Attici frequentator ſecta peripateticus*, 135 *Ejus ævum, ibidem.*

Ariſto-

Ariſtocreon *Chryſippi Solenſis auditor*, 215. *præceptori ſignum erexit*, *ibidem.*

Ariſtodemus *Menecratis Nyſæi F. & auditor*, 208. *audivit & Ariſtarchum Samium. Alius ab Ariſtodemo eius conſobrino iuniore, qui docuit filios M. Pompeij, quin ipſum Pompeium, ibidem.*

Ariſtogenes Cnidius *medicus Chryſippi Solenſis auditor*, 216. *Antigonum Gonatam curavit, ibidem.*

Ariſtophanes Byſantius *Eratoſthenis auditor atque ſucceſſor*, 205. *Callimachum etiam Zenodotum, Dionyſium Heracleotam audivit. Quo floruerit ævo, ibidem.*

Ariſtonicus Maratonius *ab Archya captus*, 18

Ariſtocles Stagyrites *Socratis, ac Platonis auditor*, 124. *Ab eo peripatetici ſequaces, ibid. Quo natus anno, quóve Socratem audierit præceptorem, ac Platonem; & quot annos iis impenderit ibid. Vita functo Platone Lyceum aperit eam inſtituens ſectam, quæ ab actione deambulandi Peripatetica dicta*

eſt, ibid. Commendatur, 125. 126. multa ſcripſit. Eius Bibliotheca, 126. Primus diſperſa philoſophiæ membra in unum corpus coegit. Certam argumentandi formam præſcripſit, ibid. Ethicam à Socrate cœptam abſoluit. ibid. De phyſicis ita diſſeruit, vt poſt ſe omnes reliquerit. Nihil ab eo vel terra, vel mari, vel cœlo ommiſſum, quod non aperuerit, ibid. Hiſtoria animalium vniverſo literarum orbi meritus eſt, 127. *Quid ab Alexandro Magno præmij ob id acceperit,* 128. *In naturæ ratione primas obtinet. In divinarum rerum intelligentia Platone inferior. Cur Platonici Ariſtotelem, & Peripatetici Dæmonium vocarint. ibid. Eius elogia multa, ibid. Numiſmata ænea ejus imagine ſignata,* 129. *Theophraſtum Eudemo Rhodio in Lycei ſucceſſione prætulit,*134. *Bibliothecam, & ſcholam reliquit Theophraſto,* 137. *Ariſtotelis libri negligenter cuſtoditi. In foſſa ſub terra abſconditi; tineis exeſi, & humiditate labefacti,* 138. *De Pythagoricis ſcripſit,* 296. *De Speuſippi Xenocratiſque philoſophia librum unum,*48, 49. *Tres*

49. *Tres de Archyta philoſophia*, 298. *unum adverſus Meliſſi dicta*, 364. *Ordine & methodo in tradendis diſciplinis longè omnes ſuperavit*, 9. *dignus vel hoc nomine qui ab omnibus celebretur, ibidem.*

Ariſtoterus *mathematicus Arati Cilicis. poëtæ præceptor*, 267. *Qui ergo Aratus Aſtrologiæ ignarus, ut Cicero ſcribit? ibidem.*

Ariſtoxenus Tarentinus *Xenophili Chalcidenſis philoſophi Pythagorici auditor*, 303. *vir doctiſſimus. Philoſophica, Muſica, Hiſtorica ſcripſit. Qui librorum ejus numerus*, 304. *A Dionyſio juniore audivit celebre illud vadimonium Damonis pro Phintia. Patris item, ac Lampri Erithræi fuit auditor, Euryti Tarentini, ac Ariſtotelis, in quem morientem convicium dixit*, 132, 304. *Quorum potiſſimùm vitæ in opere, quod de illuſtribus viris edolavit, celebrentur, ibidem.*

Ariſtus *Antiochi Aſcalonitæ FR. M. Bruti præceptor*, 74

Artemidorus *Ariſtophanis Byzantij auditor cognomento* Ariſtophanius, 206. *Quo vixerit ævo, ibidem.*

Artemi-

Artemidorus Cnidius *philoſophus familiaris M. Bruti*, 74

Aſclepiades, *qui tragœdiarum argumenta congeſſit, Iſocratis Athenienſis auditor*, 343

Aſclepiades Phliaſius *Pliſtani Elienſis auditor*, 264. *cum Methrodoro Eretrio, & audivit Stilponem, ibidem.*

Aſclepiodotus Alexandrinus *Procli Lycij diſcipulus*, 95

Aſinius Pollio Trallianus *Muſonij Rufi philoſophi stoici dicta memorabilia collegit*, 240

Aſtydamas ſenior *Athenienſis Socratis auditor*, 34. *primus ex auditoribus Socratis ad poëticam ſe convertit, ibidem.*

Aſto Crotoniata *Pythagoræ auditor*, 300

Athenæ *à L. Sulla quandonam captæ* 145, 416. *Inſignes philoſophi Romam veluti in alteras Athenas convolarunt*, 145. *Quo anno captæ, ibidem. non dirutæ, niſi earum mœnia*, 151. *Inſtaurata à Valeriano Imperatore, ibidem. Poſt L. Sullæ tempora literarum ſtudia adhuc inibi floruêre, ibid. Qui tunc temporis maximè emicuerint, ibid.* 152. *viguerunt vſque dum à Turcis, Conſtantinopolis*

tinopolis capta, ibidem. Quid nunc temporis Athenæ, 153
Athenienſes *acutiſſimi hominum,* 8
Athenæus *è Seleucia Ciliciæ philoſophus peripateticus, & orator,* 160. *diverſus à Naucratita grammatico, & illo à Galeno celebrato. Ejus ætas, ibidem.*
Athenion *peripateticus præfuit philoſophico coetui Athenis, in Meſſana, & in Lariſſa Theſſaliæ.* 159. *Quo vixerit ævo. Tyrannidem Ahenis exercuit, ibidem.*
Athenodorus Solenſis *Zenonis Cyttiæi diſcipulus,* 203
Athenodorus Tarſenſis *cognomento* Cordylio *ſectâ Stoicus,* 232. *Pergami commorantem adijt Cato Uticenſis, in caſtra perduxit, & vitæ ſuæ comitem fecit, ibidem.*
Athenodori *tres ſectâ Stoici,* 234
Attalici Reges *Ariſtotelis libros conquirunt.* 138
Atteius Philologus Athenienſis *diſcipulus M. Antonij Gnifonis,* 417. *Claudios fratres docuit, eorúmque in Provincia comes fuit, ibidem.*
Atticus *ſectæ Platonicæ philoſophus ejúſque ætas,*

ætas, 106

Avempax *Averrois præceptor*, 171. *eius ſocius Abubacher, ibidem.*

Averroës *tantæ aliquibus auctoritatis, vt ei ceu Deo aſſurgant*, 169. *eius ſectatores* Averroiſtæ. *Muleaſſes Tuneti Rex inter eos nulli ſecundus, ibidem. Cum Avicenna* Averroës *graviſſimas habuit contentiones*, 171. *Corduba Princeps. Quo floruerit tempore, ibidem. ſeſquiſæculum præceſſit.* Albertum *Magnum, qui* Coloniæ *deceſſit an.*1280. 113

Avicembron *Maurorum Theologorum facilè princeps,* 167

Avicenna Arabum *Theologorum ſummus*, 167. Ariſtoteli *quàm maximè addictus. Totam eius metaphyſicam memoria tenuit,* 68. *Benedicti Pererij de eo iudicium, ibid. eius opera medica. Ordine, ac Methodo Galenum ſuperaſſe quorundam ſententia eſt, ibidem.*

D.Auguſtinus *ſecta Platonicus*, 108. *Quando natus* 195. *Quando ordinatus Epiſcopus*, 108. *Doctrinam Platonicam Chriſtianæ veritati quàm proximè accedere docet*, 109. *Suæ ætate Cynicos fuiſſe ſcribit*, 195. *Porphyrij inconſtantiam & impie-*

impietatem deteſtatur, 85. *Vaniſſimam Cynicorum turpitudinem inſectatur,* 188. *Eius obitus,* 107.& 195
Auguſtinus Niphus Sueſſanus *quid de Ariſtotelis, Averrois, Avicennæ philoſophia Bacconis tempeſtate dicat,* 154. *Eius dictum non probatur auctori, qui in illud inquirit, ibidem, &* 155
Aulus Gellius *quando vixerit, & quorum coævus,* 101
C. Aurelius Cotta *Academicus* 99
Autolycus *Socratis diſcipulus,* 34
Autolycus *mathematicus Arceſilæ Pitanei, magiſter,* 53
Axiothea *Phliaſia Platonis, & Speuſippi diſcipula,* 45,46

B

Barbari *parùm accommoda de Philoſophia ſcripſerunt,* 9. *ſine ordine, ac methodo, exiliter, & confusè, ibidem.*
Bartholomæus Keckermannus *Peripateticam ſectam maximè commendat forma methodi dextra, regulata, & plana,* 10
Baſilides Syropolitanus, *M. Antonini Veri cognomento Philoſophi præceptor,* 247

Baſilides

Baſilides *ignotæ patriæ ſectâ Epicureus*, 406. *Dionyſio Epicureo ſucceſſit in Horti regimine, ibidem.*

Benedictus Pererius *quod de Avicenna & Averroë judicium tulerit*, 168

Beſſario Cardinalis *Patriarcha Nicenus Georgium Gemiſtum ſectâ Platonicum in Græcia audivit*, 13. *plurimæ ad eum extant epiſtolæ. ibid. aluit & fovit Theodorum Andronicum, & Domitium Cattum doctos viros, ibid. ſcripſit contra Georgium Trapezuntium Peripateticum defenſionem Platonis, ibid. omnia Platonis dicta ſcripſit veneratur & extollit*, 42

Bion Abderites *è ſectâ Democriti mathematicus*, 373. *Atticè & Ionicè ſcripſit*, 374

Bion Boryſthenites *deſcipulus Crantoris & Cratis*, 52. *Cynicum elegit inſtitutum, ibidem.*

Bloſſyus Cumanus *Antipatri Tarſenſis auditor*, 220

Boëtius *Romanorum nobiliſſimus ſectâ peripateticus*, 164. *primus Latinorum manibus Ariſtotelem vix cognitum tradidit. Cœteris adoleſcens Athenis Ariſtotelem prætulit ſectis ibidem. Ariſtotelis libros*

bros

bros & latinitate donavit, & commentariis illuſtravit. Omnes qui humanas colunt diſciplinas multum ei debent, imo qui ſacram Theologiam. Ejus Laudes, ibid. & 165

Boëtius *alter ſecta item peripateticus diverſus à ſuperiori,* 165. *idem videtur ac Sydonius cum quo Strabo,* Ariſtotelica *ſcrutatus*, 166. *magis tamen* Stoicus *quàm Peripateticus fuit,* 241

Boëtius Sydonius *ſecta Stoicus ſuperioribus antiquior,* 166

Bolus *Democriteus philoſophus,* 374. *Quæ ſcripſerit. Diverſus à Mendeſio, qui Pythagoricus, ibidem.*

Bryſo Achivus *Cratis Thebani magiſter,* 193

M. Brutus *Antiochi Aſcalonitæ diſcipulus,* 74. *omnes ferè Græcos philoſophos audivit, Veterem Academiam fovit,* Antiochum *ingenti admiratione coluit, ut & FR. ejus Ariſtum, quem item audivit, ibidem. Inſuper Athenis Theomnes tum Academicum; &* Cratyppum *Peripateticum. In grammatica Laberio Hieræ adhæſit, ibid. Ante Chriſti adventum M.* Brutus *Mutinæ occiſus eſt,*

eſt, 75
Byzantium *quo anno à Mahomete 2. expugnatum,* 114

C

Callias *Hipponici F. Protagoræ auditor,* 377
Calliphon Crotoniata *Pythagoræ auditor,*301. *illius anima cum Pythagora die, noctúque degebat, ibidem*
Callimachus *epigramma ſcripſit in Cleombrotum Ambraciotam, qui in mare ſe præcipitem dedit,* 259
Calippus Athenienſis *Platonis auditor.* 43
Calippus Corinthius *Zenonis Cyttiæi diſcipulus,* 203
Calliſthenes Olynthius *Ariſtotelis diſcipulus,* 130. *ejus conſobrinus unus ex comitibus Alexandri Magni, ibidem.*
Carolus Sigonius *de vita, & rebus à P. Cornelio Scipione Aemiliano Africano minori ſcripſit,* 221
Carneades Athenienſis *Anaxagoræ diſcipulus,* 21
Carneades Cyrenæus *tertiæ Academiæ Princeps*

Princeps, 58. *incomprehenſibilitatem Arceſilanam minimè probavit, ſed veterem fovit Academiam. Arceſilam tamen ſuperficie tenùs ſecutus eſt*, 59 *multa ſunt, quæ ignorare non poſſumus*, 59. 60. *Cum Critolao Peripatetico, & Diogene Stoico ad S. P. R. ivit Legatus*, 60. *Ejus eloquentia, memoria, & differendi ratio commendatur, ibid. Omnia, quorum cauſa miſſus fuerat impetravit*, 61. *Pro, & contra juſtitiam diſſeruit, ibid. A Diogene Stoico, qui Babylonius, dialecticam didicit, ibid. &* 216. *Quot annos ſtudiis impenderit, ac quando humanis exceſſerit*, 62. *Zenonis Cyttiai, ut ſcripta refelleret, elleborum ſumpſit* 201

Carneades *philoſophus Cynicus*, 196. *Quo vixerit ævo*, 197

Caſſandrus *ſummus Panætij Rhodij ætate Aſtrologus*, 224

C. Caſſius *Imperator ſecta Epicureus*, 411. *Ciceronis auditor*, 69

Caſtricius Phirmus *cognominatus Plotini auditor, eiúſque, & Amelij cultor* 82 83

Catiûs Inſube *ſecta Epicureus*, 411

Cato Ægiptius *Panætij Rhodij auditor*, 223

Çato

Cato Cenſorius *Græcis infeſtior Carneadis Cyrenæi eloquentiam pertimuit,* 61. *enixè curavit, ut Carneades, & ſocij quamprimùm in Græciam remitterentur, ibidem &* 148. *Tergemina laude illuſtris,* 146. *Græcam philoſophiam, ac literas à Romanis ſedibus arcere maximè ſtuduit. Literatum ſtudijs cenſuit juvenum animos ad otia vocari, & reddi imbelles,* 148, 149. *Quid de Græcis ad filium ſcripſerit, ibidem.*

Cato Vticenſis *Cenſorij pronepos ſecta Stoicus,* 229. *Græcæ ſapientiæ callentiſſimus. Maximus cum proavo, ac innocentiſſimus veteribus habitus. Quo tempore floruerit. Ejus elogia, ibidem. E cœlo cecidiſſe dicitur, & Cur, ibidem. Patria libertatem ſecutus eſt,* 230. *Cùm omnia à Cæſare ſuperata cognovit Vticæ gladio ſe transfixit, ibid. Antipatrum Syrum audivit,* 232. *Athenodorum Tarſenſem ſecta stoicum Pergami cõmorantem adijt in caſtra perduxit, & vitæ ſuæ comitem fecit, ibidem.*

Cebes Thebanus *Socratis auditor,* 34.

Cephiſodorus *Iſocratis auditor,* 345. *alius ab Athenienſi, & ab eo, qui hiſtoriam ſcripſit*

ſcripſit belli ſacri, ſive Phocici. Fideliſſimus praeceptoris diſcipulus. Defenſionem ejus contra Ariſtotelem ſcripſit, ibidem, & 346

Celſus; *contra quem Origenes libros ſcripſit octenos, ſecta Epicureus fuit*, 418. *Celſi duo, & quo quiſque vixerit aevo,* 419

L. Ceſtius Smyrnaeus *cognomento* Pius *philoſophus ſecta Epicureus fuit*, 417. *Docuit Romae Auguſtao aevo, ibidem. Ciceromaſtix,* 70

Chalcidius *philoſophus ſecta Platonicus*, 107. *commentaria ſcripſit in Timaeum. Ejus aetas, ibidem.*

Chameleon *Platonis auditor,* 44

Charmidas *cum Philone in Academia magiſterio Clitomacho ſucceſſere,* 65

Charmides Glauconis *Protagorae auditor,* 377

Charmides *Socratis diſcipulus,* 34

Charondas *Thuriorum Legislator Pythagorae auditor,* 309

Cheredemus *Epicuri FR. & auditor,* 400.

Chaeron Pellenaeus *Platonis, & Xenocratis auditor,* 44

Chaerephon Athenienſis *Socratis diſcipulus,* 34

Cl ae emon

Chæremon *comicus Socratis diſcipulus,* 34.

Chæremon Aegiptius *philoſophus Stoicus* 242. *præceptor Dionyſij Alexandrini, qui a Nerone uſque ad Trajanum docuit. Præceptori Alexandriæ ſucceſſit, ac Bibliothecæ præfuit, ibidem.*

Chæreſicrates *Socratis auditor,* 34

Chio *Platonis diſcipulus,* 45

Chryſaorius *patricius* Romanus *Porphyrij auditor,* 85

Chryſanthius Sardianus *Aedeſij diſcipulus,* 89

Chryſippus Cnidius *Eudoxi Cnidij auditor,* 299. *In medicina Philiſtioni Siculo adhæſit, ibidem.*

Chryſippus Aethlij *Ariſtagoræ auditor,* 299

Chryſippus Solenſis, *ſeu Tarſenſis Cleanthis Aſſij auditor,* 214. *Arceſilæ, ac Lacydi ad philoſophandum ſe conjunxit. ibid. Stoicorum Coryphæus. Eorum Porticum dictus eſt fulcire,* 200, *&* 214. *primus quæſtionum ſpinoſo acumine virilem Stoicorum ſectam corrupit, ibid. Quo vixerit ævo,* 215. *Quo tempore humanis exceſſerit, ibidem.*

Chius

Chius *philoſophus Epicureus,* 412
Choſroës Perſarum Rex *ſecta Platonicæ præclariſſimus philoſophus,* 109, *Qui in Perſiam ad eum viſendum ſe contulerint philoſophi. Ejus ætas,* 110
Cicero *Philonis auditor, Antiochi Aſcalonitæ. Poſidonij Apameenſis Stoici, Cratyppi Mitylenæi peripatetici,* 66. *Philonianæ Academiæ ſectator, ibidem. Inſuper audivit Diodorum stoicum dialecticum, Plotium Gallum, M. Antonium Gniphonem, & Pompilium Andronicum, Grammaticos. Demetrium Syrum, Aeſchilum Cnidium, Xenoclem Adramytenum, Dionyſium Magneſium, Menippum. Stratonicenſem,* 67. *Apollonium Alabandenſem, qui oratores, ibid. Roſcium Comicum, & Aeſopum tragoedum vocales magiſtros, ibid. Q. Mutium Scævolam in jure civili, ibid. ejus elogium ſcripſit lib. pr. de oratore,* 61, *Cum Pomponio Attico Phædrum Athenienſem, atque Zenonem Sydonium, qui Athenis præerant Hortis,* 67 & 408. *In Aſtrologia C. Sulpicium. Republica in Monarchiam mutata publicis ceſſit, ludúmque philoſophiæ in*

Villas ſuas aperit, 67. *Academica, & Tuſculanæ quæſtiones, & diſputationes quandonam Ciceroni ſcripta*, 68. *In libris Ciceronis deprehendere eſt nullius ingenuæ artis ſcientiam ei defuiſſe*, *ibid. Ciceromaſtyges Didymus, Argyropylus. L. Ceſtius Epicureus, Sidonius*, 70. *In ſectam Epicuream iniquus*, 398, & 414. *In Stoicorum Laudes multus*, 200. *Ejus mors*, 70. *Tyro Tullius ejus vitam ſcripſit, atque Plutarchus*, *ibidem*.

Ciceronis textus *de Xenocrate vitiatus reſtituitur*, 47

Cineas Theſſalus *Pyrrhi Legatus Demoſthenis auditor*, 344. *Quo vixerit ævo, quæque ſcripſerit*, 345, & 350. *memoria felix. Ejus de Senatu Romano judicium*, *ibidem*.

L. Cincius Alimentus *Gorgiæ Leontini vitam in literas retulit*, 334

Cinna Catulus *stoicus M. Antonini Veri cognomento Philoſophi doctor*, 246

Claudius Maximus *ſecta stoicus M. Antonini Veri præceptor*, 246

Claudius Severus *ſecta peripateticus*, 162.

Docuit M. Antoninum Verum cognomento Philoſophum, ibidem.

Claudius Galenus Pergamenus *philoſophus ſecta Platonicus*, 106. *Inter* XII, *ſubtiliſſima orbis ingenia ſubtilitate ultimum. Ejus ætas, ibid.*

Claudianus *Maximi Epheſij FR. Alexandriæ docuit*, 90

Claudij fratres *Attei Philologi diſcipuli*, 417

Cleanthes Aſſius *Zenonis Cyttiæj diſcipulus*, 202, 213. *Cratis item Thebani auditor*, 193. *Quandonam præceptori ſucceſſerit. Voluptatis ab ipſo imago graphicè deſcripta, ibid. Quo deceſſerit tempore, ibid.* & 214. *A Romanis Aſſi in patria ſtatua poſita*, 214

Clearchus *Platonis & Iſocratis auditor*, 45. *De laudibus ſcripſit Platonis*, 42

Clearchus Solenſis *Ariſtotelis auditor*, 130

Cleomenes Cynicus *Metroclis Maronitæ auditor*, 194. *Spheri Boſphorani adhuc adoleſcentis*, 203. *Magiſterij munere functus*, 194

Clemens Alexandrinus *stoicus Pantani concivis stoici auditor*, 247. *Doctrinarum*

magiſter, ibidem.
Cleombrotus Ambraciota *è muro in mare ſe præcipitem dedit, & cur*, 259. *Perperam intellexit Platonem, ibidem.*
Cleon Byzantius *condiſcipulus Phocionis ſub diſciplina Xenocratis*, 49
Clinias *Philolai Crotoniatæ Pythagorici auditor*, 303. *Platonem prohibuit Democriti commentaria comburere, ibidem.*
Clinomachus Thurius *diſcipulus Euclidis Megarenſis*, 269. *Primus de proloquiis ſcripſit, ibidem.*
Clitarchus *Stilponis auditor, & antè Ariſtotelis Cyrenaici*, 271
Clito Mileſius *Ariſtotelis diſcipulus*, 131. *unus ex comitibus Alexandri M. à quo haſta trajectus, ibidem.*
Clitomachus Carthaginenſis *Carneadis Cyrenæi auditor, atque ſucceſſor*, 63. *commendatur*, 63, 64. *In tribus ſectis maximè verſatus. Cum Carneade uſque ad ſenectutem vixit, ibid. Quando floruerit. ibid. Clitomacho Æſchines an Philo ſucceſſerit, an eodem tempore uterque*, 64, 65
Cæcilius Siculus *de Thucidide ſcripſit*, 20. *Ejus, & Marcellini de Thucididis magiſterio*

magiſterio diſſenſio, ibidem.
Cœlius *Ciceronis auditor,* 69
Collegium Conimbricenſe *doctum opus, eruditum,& elegans, Henricum Gandavenſem nobilem Ariſtotelicæ familiæ philoſophum vocat,* 112
Colotes Lampſacenus *Epicuri auditor,* 404, 405. *Contra eum Plutarchus Libellum ſcripſit, ibidem.*
Commodus Chalcidicus *M. Antonini Veri præceptor,* 247
Contumeliæ *in diſputando indigna philoſopho,* 182
Corax & Tiſias *Siculi antiquiſſimi primi Rhetorices inventores,* 331
Corinthus *à L. Mummio capta, ſolóque æquata,* 145. *Quo tempore contigerit ibid.*
Coriſcus Scepſius *Platonis auditor,* 43
Cornelius Fronto *orator, quorum coævus,* 101,102
Cornelius Nepos *T. Pomponij Attici vitam elucubravit,* 409
Coſmus Medices *Florentiæ Georgium Gemiſtum quaſi Platonem alterum de myſterijs Platonicis differentem audivit,* 112
Crantor Solenſis *diſcipulus, & ſucceſſor*
 Polemonis,

Polemonis, 51

L. Craſſus *orator Carneadis Cyrenaj auditor,* 62

Craſſus P. Craſſi Iuriſperitiſſimi F. *Ciceronis diſcipulus, 69 Caſaris Legatus in bello Gallico, ibidem.*

Crates Mallotes *grammaticus ſecta stoicus 228. Homericum, & Criticum veteres dixêre, ibid. Homeri verſum emendavit ibid. Panatij quibusdam creditus magiſter, ibid. Ariſtarchi ſychronos. Primus in Vrbem Grammatica intulit ſtudium, ibid. Attali Regis ad Senatum Romanum legatus. In cloacham labitur, ibidem.*

Crates Thriaſius *diſcipulus, & ſucceſſor Polemonis, 51. Cur dictus Thriaſius. Quo temporis tractu claruerit, ibidem. Crati, Crantori, Polemoni, ac Xenocrati placuit ſcientiam diſſimulare, 52. Veteris Academia hi noviſſimi, ibidem.*

Crates Thebanus *Diogenis Synopenſis auditor, ac Bryſonis Achivi, & ex Seneca, ac Philippo Megarico Stilponis, 193. Quo tempore emicuerit, ibidem.*

Crates Trallianus *orator Iſocratis Athenienſis auditor,* 342.

Cratylus

Cratylus *Heracliti Epheſii diſcipulus* 38. *&* 358. *Heracliti ſententiam, quæ ſcientiam negabat, acriter defendit, ibid. Plato eum, Socrate vita functo, audiit, ibidem. Sceptica philoſophia doctor,* 277

Cratippus Mitylenæus *peripateticus Ciceronis præceptor*, 66. *M. Filij*, 161. *M. Bruti*, 74. *Ciceronis opera Romanorum, & Athenienſium civitate donatus*, 161. *fugientem Pompeium ad ſpem mitiorem adduxit, ibidem.*

Cratiſthenes Phliaſius *Xenophontis, diſcipulus,* 33

Creophylus Samius *Homeri hoſpes*, 287. *ſunt qui Homeri magiſtrum fuiſſe dicant, ibidem.*

Critias Spartanus *Socratis auditor,* 36

Critobolus Critonis F. *Socratis diſcipulus,* 34

Criton *Socratis diſcipulus, & familiaris*, 34. *Socrate hortante Phædonem Elienſem cõditione ſervum coëmit*, 263. *alij Alcibiadi, alij Cebeti Socratico id tribuunt, ibidem.*

Critolaus Athenienſis *Ariſtonis Cei auditor, atque ſucceſſor*, 143. *Terni hoc nomine celebres viri. Qui Diodori*

magiſter Athenienſis. Cum Carneade Academico, & Diogene Stoico Romam venit legatus, ibidem.

Creophylus Samius *Homeri hoſpes, & æmulator canendi*, 287. *aliqui Homeri magiſtrum faciunt, ibidem.*

Creſcens Megalopolitanus *philoſophus Cynicus*, 197. *Ejus ætas, ibid. Iuſtino noſtri dogmatis philoſopho perſecutionem movit, ibidem.*

Cronius *de Pythagoricis ſcripſit*, 296

Cteſippus Critonis F. *Socratis diſcipulus*, 34

Cupidi voluptatis *apud Epicureos qui*, 414

Cynici *à quo denominationem ſumpſerint*, 186. *mordaces*, *ibid. In hominum mores nullo habito diſcrimine invehebantur. ibid. Canum more in propatulo, coibant*, 188. *Canis cognomine ſe commendare exiſtimabant, & qua ratione, ibid. Cynicorum cultus ruſticus, planè, & vilis.* 189. *Eorum ſuppellex qualis, & quanta. Quod illis domicilium, ibidem.*

Cynoſarges *Gymnaſium, in quo Antiſthenes profitebatur*, 186

Damaſcius

D

Damaſcius Damaſcenus *Ammonij Alexandrini diſcipulus*, 94. *Vitam Iſidori Gazæj literis mandavit*, 95. 97. *Iacobi medici ſtatuam Athenis ſe vidiſſe teſtatur*, 95. *Marinum item Neapolitanum audivit*, 96. *Athenis Zenodotum, qui Marino ſucceſſor, ibid. In dicendi arte Theonem, ibid. In Aſtrologicis Ptolomæum, ibid. In dialecticis Iſidorum Gazæum, ibid. Elamitæ ſeu Elamij Phrigis familiaris*, 248

Damis Aſſyrius *Apollonij Thyanæj familiaris ejus vitam ſcripſit*, 320

Damo *ſecundùm aliquos Pythagoræ F. & diſcipula*, 309

Damon *Pythagoræ auditor*, 297. *ejus, ac Pythiæ vel* Phintiæ *illuſtre amicitiæ exemplum, ibidem.*

Dardanus *philoſophus ſectæ stoicus*, 223

David Chytræus *quid nunc temporis de Athenis prodat*, 153

Demades Athenienſis *orator præclarus*, 350. A *Demoſthene unus ſuperari non*

 potuit,

potuit, ibidem.

Demetrius Antigoni F. *Stilponis Megarenſis auditor* 271

Demetrius Alexandrinus *Theombroti Cynici auditor*, 196. *Seneca admiratus eſt eum, ibidem. Apollonium Thyanaum diſcendi cauſſa ſectatus eſt, ibidem.*

Demetrius Amphipolites *Platonis auditor,* 43

Demetrius Bythinius *Diphili Boſphorani F. Panatium Rhodium audivit* 205, 224.

Demetrius Chalcondylas Athenienſis *Theodori Gaza diſcipulus,* 114. *Mediolani docuit magna nominis celebritate, ibidem.*

Demetrius Lacon *philoſophus ſecta Epicureus diſcipulus Protarchi ex Bargilijs,* 406

Demetrius Phalereus *Theophraſti auditor*, 136. *Ab Athenienſibus tot ſtatuis ornatus quot dies annus habere credebatur, ibidem. In ejus laudes Cicero, ibidem.*

Demetrius *philoſophus Peripateticus* 233. *Cum eo Cato Utica antequam gladio ſe tranſfixerit, diſputationem habuit, ibidem.*

Demetrius Scepſius *Ariſtarchi Samij auditor,* 208, *Cratetis, ibidem.*

Demetrius,

Demetrius Syrus *Ciceronis preceptor*, 67.
Democritus Abderita *Socratis diſcipulus*, 34. *Leucippi Eleata*, 368. *Commendat eum Ariſtoteles, ac prafert Platoni. Ciceroni item laudatur, ibidem, & 369. Summos viros audivit, Magos, atque Chaldeos, à quibus Theologiam hauſit & Aſtrologiam, Anaxagoram quem improbavit*, 369. *Ægipti Sacerdotes, à quibus Geometriam, ibidem. Chaldaos & Babylona adiit, ad Gymnoſophiſtas in Indiam penetravit, ibidem. Athenas revertitur, quo loci gloriatur ignotum omnibus fuiſſe*, 370. *Octoginta annos longè à patria diſciplinarum amore abfuit, ibidem. Pythagoricorum quopiam uſus eſt magiſtro forte Philolao, ibid. In philoſophia dictus eſt Pentathlos, hoc eſt, quinque certaminum, & cur, ibidem. Se occæcavit, ut natura ſecreta ſubtilius rimaretur*, 371. *Quoties domo egrediebatur ridebat, & cur, ibidem. De ejus atate non una ſcriptorum ſententia*, 372. *qua germana aperitur, ibidem. An Hermachi Mitylenæi fuerit auditor, ut aliqui ſcripſère*, 401, 402.

Demonax Cyprius *Epicteti auditor, ſecta, ut præceptor, stoicus,* 243. *Quibus cum philoſophis ſit locutus, ibidem. Penè centenarius evaſit,* 244
Democles *Theophraſti diſcipulus,* 139
Demophilus *philoſophus Epicureus,* 416
Demoſthenes Athenienſis *orator Platonis & Calliſtrati rhetoris auditor,* 43. *Iſocratis* Athenienſis, 344. *Iſæi Chalcidenſis,* 349. *Eubulidis Mileſii, & Andronici Hiſtrionis ibid. &* 350. *In orando maximam habuit vim,* 338. *Omnes ſui temporis oratores ſuperavit præter Demadem unum* 350. *Iſocratis & Alcydamantis artes clàm hauſit,* 349. *Ejus ex Quintiliano, & Cicerone laudes,* 344. Ab *Arthya captus veneno ſibi mortem conſcivit,* 18. *Quot vixerit annos,* 350
Dexippus Cous *Hippocratis Coi diſcipulus,* 384. *Ingenij ejus monumenta, ibidem.*
Dexippus Herennius *Athenienſis Dux bello egregius Iamblichi auditor,* 87
Diacontes Athenienſis *Platonis in muſicis præceptor,* 38
Diagoras Mileſius *Democriti auditor,* 373

373. *philoſophus fuit , & poëta melicus poſt Pindarum, & Bacchilidem. A Democrito , cùm eſſet ſervus, emptus fuit , ibid. Quo emicuerit ævo , ibid. Dictus atheos , & cur, ibidem. Tatianus Athenienſem appellat.* Euſebij *de ejus ætate ſententia rejicitur , ibidem.*

Dialectica *multò ante Zenonem Cytiæum inventa* ; 331. *Apud veteres non valde in uſu* , 365. *Ex ipſa diſputandi exercitatione ejus præceptiones , & regulæ inventa , ibidem.*

Dicæarchus Meſſenius *Ariſtotelis diſcipulus* , 131. *Tarentini Euryti*, 304. *philoſophus, orator, & geometra,* 131

Dicæarchus Lacedæmonius *Ariſtarchi Samij auditor,* 307

Didymus *Ciceromaſtix*, 70, *Librum de Philoſophia Pythagorica ſcripſit,* 296

Dinarchus Corinthius *Theophraſti auditor* , 137. *Cum Demetrio Phalereo verſatus , Proxenique ſocius fuit, ibidem.*

Diochetes *philoſophus Pythagoricus Parmenidis doctor,* 361

Diocles

Diocles Phliaſius *Philolai Tarentini auditor*, 303. *Item Tarentini Euryti, ibidem.*

Diodorus *Ariſtophanis Byzantij diſcipulus*, 206. *ejus avum, ibidem.*

Diodorus *Critolai Athenienſis auditor, atque ſucceſſor*, 143. 144

Diodorus Epheſius *Anaximandri Mileſii vitam conſcripſit*, 17.

Diodorus Iaſſius *dialecticus cognomento Cronus diſcipulus, & ſucceſſor Apollonij Cyrenæj cognomento Croni*, 273. *Euclidem item audivit*, 274. *Cur appellatus dialecticus, ibid. Apud Ptolomæum Soterem commoratus, ibidem. Quid illi cum Stilpone inter epulas acciderit, ibidem. A Diodoro, qui primò Euclidis alumni Megarici ſunt dicti, deinde Eretriaci, dialectici ſunt appellati, ibidem. Quo floruerit ævo, ibidem.*

Diodorus Siculus *putat Græcis non eſſe Barbaros antiquiores*, 3

Diodorus Stoicus *dialecticus Ciceronis magiſter*, 67

Diogenes Apolloniata *Anaximenis Mileſii diſcipulus*, 17. *commendatur, ibid.*

Diogenes ex Phœnicia *unus ex ijs, qui in Perſiam ivêre, ut Choſroëm Perſarum Re-*

gem

gem inviſerent, qui magnus ſecta Platonica philoſophus, 110

Diogenes ex Seleucia *Babylonius appellatus, Chryſippi Solenſis auditor, atque ſucceſſor,* 216. *Zenonem item audivit, cujus patria neſcitur, ibid. docuit Carneadem Cyrenaum Dialecticum, ibidem. Cum eo, & Critolao Peripatetico ivit Romam Legatus. Ejus ex Cicerone laudes,* 217

Diogenes Laërtius *Philoſophia originem Gracis attribuit, ac hominum genus initio ab ipſis manaſſe ſcribit,* 3, 4. *Quo tempore vixerit,* 399. *ſecta Epicureus,* 420. *In nulla ſecta induſtriam ſuam magis probat quam in Epicurea, ibidem.*

Diogenes Synopæus *cognomento* Cynicus *diſcipulus Antiſthenis Athenienſis,* 191. *Quanto flagraverit ſtudio Antiſthenem audiendi,* 190. *Caput Antiſthenis baculo eum à ſe repellentis ſubjecit, & quid dixerit, ibid. Quo tempore ſenex.* 191. *Ejus vitam Eubulides Mileſius in literas retulit, ibidem.*

Diogenes junior *philoſophus Cynicus,* 196. *Veſpaſianus ob procacitatem lingua cadi permiſit, ibidem.*

Diogenes

Diogenes Tarſenſis *ſecta Epicureus*, 406. *Ejus lucubratio, ac ævum, ibid. Ab Antiocho Syriæ Rege interficitur, ibid. Cur dictus Tarſenſis,* 407

Dio Chryſoſtomus *luculentum de Xenophonte elogium habet,* 33

Dion Alexandrinus *ſecta Platonicus*, 101. *Alexandria Romam venit legatus, ibid.*

Dion Caſſius *Arriani Nicomedienſis vitam literis tradidit,* 244

Dion Syracuſanus *Platonis auditor,* 43

Dionyſius Areopagita *gentilis philoſophus ſecta Platonicus*, 101. *diſcipulus Apollophanis, præceptor Athenodori Athenienſis, ibidem.*

Dionyſius Heracleotes *Zenonis Cyttiæi auditor*, 202, 211. *Adoleſcens poëſi addictus, Aratùmque in delicijs habuit*, 211. *Homo varius, ibid. Philoſophiæ operam ſub Heraclide concive ſuo dat, ibid. Eo relicto ad Alexinum ſe confert, ibidem. Hoc neque contentus Menedemo adhæret, tandem ad Zenonem divertit, à quo etiam flagitiosè deſcivit, & ad Cyrenaicos, qui voluptatem*

tatem corpoream ſummum statuunt bonum, deflectit, ibid. 265. *Metathemenes vocatus,* 211

Dionyſius Longinus *Porphyrij, & Zenobiæ Palmyrenorum Reginæ præceptor,*84. *Spirans bibliotheca, ac vivum Muſæum Eunapio dicitur, ibidem.*

Dionyſius Magneſius *Ciceronis præceptor,* 67

Dionyſius Mileſius *quo tempore vixerit, & quorum coævus,* 101

Dionyſius *cognomento* Thrax Alexandrinus *Ariſtarchi Samij diſcipulus,* 206. *Pompeij ævo Romæ docuit, ibidem.*

Dionyſius *ignotæ patriæ ſecta Epicureus,* 406. *Succeſſor Polyſtrati in Horti regimine, ibidem.*

Dioſcorides Cyprius *Timonis Phliaſii diſcipulus,* 280

Dioſcorides *Iſocratis auditor,* 352

Diphilus Boſphoranus *Ariſtonis Chij diſcipulus,* 205. *Stilponis, & ātè Euphātis,* 272

Diverſæ *hominum* ſententiæ *in literarum cultu,* 118, 119

Dolabella *Ciceronis auditor. qui & Hircius non Panſa (ut Tranquillus) duo illi grandes prætextati, de quibus Seneca,* 68. 69

Domitianus

Domitianus Imp , *feri, & barbari ingenij princeps*, 318. *omnes philoſophos (quod aliqui magicis artibus operam darent) Italia pellit, ibidem.*
Domninus, *vel* Dominus Syrus *genere Laodicaus Syriani* Alexandrini *diſcipulus*, 93
Donatus Acciajolus *Ioannis Argyropyli Florentia auditor*, 115
Draco Cous *Hippocratis Coi F. & ejus auditor*, 384. *magni nominis medicus, ibidem.*
Dryſo *Stilponis F. & auditor*, 271, 275

E

Ecdelus Megalopolitanus *ex Arcadia Arceſila diſcipulus*, 56
Echecles Epheſius *Cleomenis diſcipulus ac Theombroti*, 194
Echecrates Phliaſius *Philolai Tarentini auditor*, 303. *item Tarentini Euryti, ibid.*
Elea civitas *alia in Aſia, alia in Italia*, 334. & 353
Eleaticum *tertium philoſophia* genus *Italico ſubjectum*, 352. *Aliqui ſub Telauge ab Ionico diſtinguunt, ut tertium*, 353. *Aliqui Italico ſubjiciunt, ibid.*

A

A Parmenide & Zenone Eleatis *nomen accepit , vel ab Elea, in qua maximè floruit, ibidem. Res, & dogmata à Xenophane* Colophonio, 354

Eleucadius à *S. Apollinare ad fidem converſus ſecta Platonicus erat,* 101. *Petrus Damianus ſermonem habuit in ejus die natali, ibidem.*

Eleunamius Phrix *in Perſiam ivit, ut* Choſroëm *Perſarum Regem Platonica ſecta praclarum philoſophum inviſeret,* 110

Empedocles Agrigentinus *Anaximandri Mileſii æmulus* 17. *Telaugis auditor,* 310. *nobilis ab eo Oratorum familia,* 322. *Cujus auditor inter ſcriptores diſſenſio, ibid. Secta Pythagorica ſectator. Metempſychoſim poſuit,* 323. *Magiam ſicut Pythagoras exercuit,* 324. *Putavit omne quod vivit, & movetur non eſſe, edendum,* 325. *An inter Philoſophos recenſendus,* 326. *phyſicus potius quam poëta, ibid. Quatuor poſuit corpora prima rerum initia ibid. Ab Ariſtotele coarguitur , ibid. Quæ ejusmodi corpora fuerint, ibid. Empedoclem Anaxagora Ariſtoteles præfert, & cur,* 327. *Quando in pracio,* 328. *Nominis poſt fatum impenſè deſiderio flagravit,*

ſlagravit, ibidem. Vivus ſuſpici, & coli amabat, poſt mortem haberi, ut Deus, in Ætnæ craterem ſe præcipitem dedit, ut non inter mortales inventus ad æthera inter cælites abiiſſe crederetur, 329. *Fraus detecta. ibid. Qui Rhetorices inventorem faciant*, 330

Q. Ennius poëta Tarentinus *philoſophus Pythagoricus*, 315. *Romæ ubi habitaret, ibid. familiaris P. Scipionis, ibid. M. Fulvium nobiliorem ſecutus eſt, cujus, & erudiit F. Catonem docuit literas Græcas, ibid.* 316. *Verborum gravitate excelluit, ſed verborum cultu rudis, ibid. Quo obierit morbo, & ævo, ibidem.*

Epaminondas Thebanus *Lyſidis Tarentini philoſophi Pythagorici, ac Lyſiæ Siracuſii diſcipulus*, 301, 346. *ſummus philoſophus, & Imperator*, 301. *Ejus laudes pluribus recenſentur, locis citatis* 301, 302, & 346.

Epaphroditus *Neronis libertus*, 242. *A Domitiano capitali ſententia damnatus. Bibliothecam, habuit, in qua optimoru librorum triginta millia, ibidem. FL. Ioſepho ſummè commendatur*, 243. *Ei libros* Anti*quitatū Iudaicarū, ac duos cōtra Apionē*

Alexandrinum

Alexandrinum dicavit, ibidem.
Ephectici *Pyrrhonis Elienſis ſequaces*, 277. *cur ſic appellati, ibidem.*
Ephippius Cumæus *Iſocratis Athenienſis auditor*, 343 *idem planè ac Ephorus, ibidem.*
Ephorus Cumæus *Iſocratis diſcipulus*, 341. *Non ad fori contentionem, ſed ad hiſtoriam præceptoris conſilio ſe contulit, ibid. Quod dicendi genus ſit ſecutus, ibid. Quot hiſtoriarum ſcripſerit libros. De eo, ac Theopompo Iſocratis iudicium*, 342
Epicharmus Siculus *Pythagoræ auditor*, 300. *commendatur, ibid. In ejus laudes epigramma*, 301
